Kewes, Henricus
De Xenophontis Anabaseos
apud suidam reliquiis

DE XENOPHONTIS ANABASEOS APUD SUIDAM RELIQUIIS

SCRIPSIT
HENRICUS KEWES

Ueberreicht vom Verf.

DE XENOPHONTIS ANABASEOS APUD SUIDAM RELIQUIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE HALENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

HENRICUS KEWES
SCHMALLENBERGENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCVIII

1908

PARENTIBUS CARISSIMIS
SACRUM

DE DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
OTTO KERN

Caput I.

Xenophontis libri, qui inscribitur Anabasis, recensionis fundamentum satis esse infirmum, quamvis multis sit asservatus codicibus, nemo est qui nesciat. Codices enim, quorum plurimi tot mendis erroribusque scatent, ut vix usui esse nobis possint, ad duos tantum fontes sunt reducendi. Accedit, quod aetate sunt recentissimi: nam vetustissimus liber C saeculo demum quarto decimo exaratus est. Quae cum ita se habeant prosperrime contingit, ut in Suidae lexico permulta nobis sint servata fragmenta Xenophontea ex Anabasi deprompta, quae ut recte aestimentur necesse est inquiramus quaenam intercedat ratio inter excerpta Suidiana et codices Xenophonteos ac quid illis sit tribuendum. Quam quaestionem utilissimam a nullodum viro docto incohatam subire Fridericus Blassius acerba morte nuper abreptus me incitavit.

Omnium solutae orationis scriptorum, quorum fragmenta recurrunt in Suidae thesauro, principatum tenet Xenophontis Anabasis, excerptorum numerum si comparamus cum ambitu opusculi. Plures quidem loci citantur ex Herodoti et Polybii scriptis, — reperiuntur enim glossae ex Herodoto desumptae apud Suidam 281, e Polybio 651, — sed horum multo maior est amplitudo quam Anabaseos, ex qua petitas videmus glossas non minus centum quadraginta unam[1]), quae sunt duplo fere plures, quam e ceteris omnibus Xenophontis scriptis lexicographus laudavit, quippe quae septuaginta quinque locis respiciantur in excerptis Suidianis. Pertinent ad Cyropaediam glossae 54, ad Hellenica gl. 7, ad Mem. gl. 6, ad

---

[1]) In indice Bernhardyi omissae sunt glossae hae: I. 4. 1. v. *Φάρος,* I, 4. 9. v. *Χάλος,* I. 8. 3. v. *παλτά,* I. 8. 9. v. *γέῤῥοιν,* I. 9. 16. v. *περὶ παντός,* IV. 2. 2. v. *προσέχοιεν,* IV. 2. 17. v. *ἀπεκόπησαν,* IV. 5. 13. v. *χιών,* IV. 5. 25. v. *κλίμακες.*

Symp. gl. 1, ad Rep. Lac. gl. 2, ad Oec. gl. 1, ad Hipp. gl. 3, ad Hier. gl. 1. Unde vides quantum Anabaseos excerpta numero praestent ceteris Xenophontis scriptis. Neque tamen aequabili studio peragravit Anabaseos singulos libros: etenim e primo libro protulit exempla 26, ex altero 23, e tertio 12, e quarto 64, e quinto 8, e sexto 6, e septimo 2. Excepto igitur libro quarto, cui mirum quam navavit operam grammaticus, ad finem labore excerpendi magis magisque fatigatus est, ultimos libros fere praetermittens.

Tanta autem excerptorum copia e libro tam modici voluminis collata nemo in incerto habebit, quin suis manibus Suidas evolverit ipseque decerpserit in condendo thesauro Xenophontis scriptum. Audiamus quid de hac re sentiat Bernhardyus.[1]) „Jam de principibus antiquae historiae non indiligenter ille (Suidas), cura sermonis quam historiae maiore motus, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem percurrit. Quorum Herodotum etsi suis oculis nec tantum e scholiis et lexicis rhetoricis cognovit, item ut Thucydidem, unde magna vis Thucydidiarum glossarum fluxit, verba tamen saepe neglegenter et oblitterata dialecto describit; *Xenophontis autem Anabasin dilexit*, ad Cyropaediam minus attendit, reliquis libris leviter defunctus est.“ Unde enim tot locos Xenophonteos sumere potuit nisi ex ipso quodam codice Anabaseos? Agnosco nimirum nonnulla Suidam aliunde fortasse in suum armarium digessisse, nempe e glossariis aut lexicis veteribus aut commentariis, at quam pauci sint loci, qui ex eiusmodi libris originem duxerint, docemur, si fontes adhuc superstites persequimur, e quibus collectanea sua grammaticus locupletavit. Ac primum quidem inspiciamus Photii lexicon, quod ipsum aut cuius fontem[2]) diligentissime compilavit Suidas.

---

[1]) In Commentt. de Suidae lexico pg. LX.

[2]) A Suida non Photium, sed fontem cum Photio communem exscriptum esse demonstrant P. Roellig, quae ratio inter Photii et

Reperiuntur in Photii thesauro glossae Suidianae Anabasin spectantes quae sequuntur:

IV. 7. 16. s. v. *ξυήλην* et IV. 8. 2. s. v. *ὑπεϱδέξιον* Suidas et Photius idem suppeditant exemplum Xenophonteum.

VI. 1. 7. s. v. *καρπαία* Suidas eandem habet explicationem huius vocis atque Photius: *εἶδος ὀρχήσεως, οὕτως Ξενοφῶν ἐν τῇ Ἀναβάσει κ'λ.*

Eiusdem generis est VII. 3. 32. v. *κατασκεδάζειν*, quam vocem iisdem verbis expediunt.

III. 5. 14. s. v. *ἤλεγχον* Photius dat: *ἐφανεροποίουν ἢ ἀπέκρινον, ὡς Ξενοφῶν*, quae ad verbum Suidas quoque habet; deinde autem adiecit Suidas exemplum Xenophonteum apud Photium non extans. Si Photium ipsum exscripsit lexicographus, exemplum illud eum apposuisse e codice suo Xenophonteo nobis est accipiendum, sin e rivis cum Photio communibus glossas hausit non repugnabo existimanti Photium omisisse exemplum, quod in communi fonte extiterit, Suidam autem recepisse. Quamquam non minus videtur probabile, in illo libro non exarata fuisse Xenophontea, sed Suidam addidisse hunc locum ex ipsa Anabasi (ut solet glossis ex aliis libris receptis ipse e lectione permultorum librorum exemplum attribuere).

Idem iudicandum est IV. 3. 11. de voce *μάρσιππος*, ubi Suidas interpretationi huius glossae cum Photio congruenti et Etymol. Gud.[1]) apponit exemplum Xenophonteum, de quo nihil est in his libris.

Glossam *καρδιώττειν* pertinentem ad Xen. Anab. IV. 5. 8 communem habent et Suidas et Photius et Pollux (II. 2. 17) et Hesychius[2]), neque tamen exemplum Xenophonteum

---

Suidae lexica intercedat, diss. Hal. 1886, et G. Wentzel, „Beiträge zur Geschichte der griechischen Lexikographen“, Sitzungsb. d. Preuss. Akad. 1895, p. 477 sq.

[1]) Etym. Gud. pro *σακέλλιον* habet *βαλάντιον*.

[2]) Quae sub h. gl. apud Hesychium extant, non tam longa sunt.

affertur. Ad Xenophontem nihil respicit nisi hoc: *καρδιώττειν, ὅπερ βουλιμιᾶν λέγει Ξενοφῶν.*

Accedunt glossae, quae inveniuntur in initio lexici Photiani, quae pars nuper a Rich. Reitzensteinio edita est. Sunt vero quattuor tantum glossae Anabasin spectantes, quae nihil praebent nisi explicationem vocabulorum; exempla Xenophontea desiderantur. Sunt: III. 1. 30. v. *ἀναθέντας*; IV. 2. 8. v. *ἀνίμων*; V. 2. 10. v. *ἀναχωρίζει*; V. 4. 29. v. *ἀνόκαιον* (sic Photius) vel *ἀνώγαιον* (sic Suidas).

Undecim igitur glossae communes sunt Suidae cum Photio, quarum duas tantum exemplis ornatas videmus apud utrumque lexicographum. Sub duabus glossis Suidas solus habet exemplum Xenophonteum, quod petivit fortasse e codice suo Anabaseos. Illae septem denique quae restant glossae in censum non veniunt, quod exemplis non sunt munitae.

Glossa Suidiana *πλινθωτόν* non fluxit ex Anab. III. 4. 19, cum in Arriani libro recurrat, qui inscribitur *τέχνη τακτική*, p. 69 et in Bibliotheca Coisliniana p. 512 (Montfauc.), quod vocabulum Xenophonteis quidem explicatur, caret autem exemplo.

Similiter se habet II. 2. 16. v. *ἐνθέωρον*, sub quo lemmate extant apud Suidam *ἀντὶ τοῦ κατ' εὐθεῖαν, οὕτως Ἀντιφῶν καὶ Ξενοφῶν.* Reperiuntur enim apud Harpocrationem fere eadem: *Ἐνθέωρον, τὸ κατ' εὐθεῖαν, Ἀντιφῶν ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα. τὸ ὄνομα καὶ παρὰ Ξενοφῶντι ἐν δευτέρᾳ ἀναβάσεως*, quibus elucet redire hanc glossam ad Harpocrationem.

E. Polluce et Hesychio [1]) nihil quod pertineat ad Anabasin desumpsit Suidas, nisi fortasse unam glossam *καρδιώττειν* p. 7 commemoratam, quae observatio etiam cadit in Etym. Magn. et alia quae aetatem tulerunt lexica. Cum autem glossas Suidianas, quamvis sint paucae, cum aliorum librorum glossis Anabasin spectantibus congruere videamus,

---

[1]) Quae s. vv. *πυραμός, κάρφη, βάλανος* leguntur in Suidae lexico, multum differunt ab iis, quae sub iisdem vocibus apud Hesychium occurrunt.

haud temere suspicamur e fontibus iniquo fato deperditis alia nonnulla manasse. Ita e lexici Photiani deperdita parte alias quoque glossas Suidam in thesaurum suum derivasse pro certo affirmari potest.

Si summum colligimus: cum glossarum, quae ex aliis officinis provenerunt atque ex ipsa Anabasi, duas tantum exemplis illustratas deprehenderimus, ita sentiendum est e libris nobis non servatis glossas explicationibus, quae pertineant ad Anabasin, instructas complures, glossas vero exemplis ornatas perpaucas fluxisse. Ac — ne multum profundamus in re manifesta — illa tanta locorum copia ex Anabasi laudatorum non potest nisi ita explicari adhibuisse Suidam in componendis schedis suis Anabaseos exemplar, unde petiverit, quae ad illustrandas voces apta ei visa sint. Praeterea documento est Suidae cordi fuisse Anabasin, quod s. v. *Ξενοφῶν* maius dat argumentum huius libri, ceterorum Xenophontis scriptorum sententiam non explicat.

Caput II.

In sequentibus textum Xenophonteum qualis a Suida traditur cum eo, quem praebent codices, comparabimus. Priusquam autem ad rem convertamus nonnulla sunt praemittenda de codicibus et Xenophontis et Suidae.

Codicum, qui Xenophontis Anabasin continent, duo discernuntur genera, libri meliores qui dicuntur et deteriores; quos omnes enumerare supersedere possumus, cum ad nostram quaestionem sufficiant codices, qui gravioris sint ponderis. Prioris familiae optimi sunt libri:

C (Parisinus 1640, scriptus anno 1320),
 Cpr. = prima manus huius libri,
 C_1 = manus eius correctoris, qui Anabasin ad normam exemplaris alterius familiae correxit.

D (Oxoniensis Bodleianus 39. saeculi XIV vel ineuntis XV, sed inde a libro secundo ad alterum genus codicum accedit),

B (Parisinus 1641, scriptus fere saeculo XV exeunte),

A (Vaticanus 987),

E (Etonensis).

Codices omnino fere pendere a libro C viri docti asseverant; postremo vero loco habendum esse cod. E.[1]

Alterius generis codices sunt gravissimi:

H (Guelferbytanus, saeculi XV, quem Breitenbachius egregium facit testem huius classis. Idem quae a Dindorfio non recte sunt relata de hoc libro vel praetermissa, sub calcem praefationis suae collegit),

D (Oxon. Bodl. per libros II—VII),

I, K, L (Vaticani),

F, G (Vaticani),

P (Parisinus).

Duas discerni codicum familias iam dixi. Sed Dindorfius cum anno 1825 ederet Anabasin, normam introduxit in crisin huius libri, ut ubi sana ratione fieri posset cum meliorum librorum consensui, tum ubi hi inter se dissentirent, primae manui C codicis obtemperaretur, quam eandem fere rationem secuti sunt Bornemannus[2]) et Poppo.[3]) Contra C. G. Kruegerus[4]) sprevit meliorum codicum lectiones, quae vulgaribus, id est deterioribus, non manifeste essent praestantiores. Rursus Dindorfii vestigia ingressus est Hertleinius[5]), nisi quod non raro deteriorum codicum scripturas lectionibus prioris familiae cum Kruegero praetulit. Deinde Kuehnerus melioribus libris et in primis

---

[1]) Itaque cod. E neglegendus est, si non meliores sequitur libros, sed cum deterioribus conspirat.

[2]) Schneideri edit. secundam curavit Bornemannus Lips. 1825.

[3]) Popponis edit. 1827.

[4]) In edit. Hal. Sax. 1826.

[5]) Ed. prima 1847, tertia 1857.

libro A plus ponderis tribuit quam omnes, qui ante eum recensuerant Anabasin. C. Matthiae[1]) vero alteri familiae habuit fidem, ubi cum Stephano consentit et praebet quae tolerabilia videntur. Novum denique artis criticae fundamentum struxit Dindorfius in altera editione Oxoniensi anno 1855 accuratissimis librorum C, B, D collationibus adhibitis. Nunc — ne nimius sim — arte critica ita utuntur editores, ut primae manui codicis C meliorum unice fere habeant fidem ceterisque libris, ubicumque ille deficit, tamquam auxiliis utantur, nisi forte excipias Schenkelium[2]), qui quamquam maxima sit Parisini C auctoritas, neque temere huic libro fidem esse habendam censet neque alterius generis codices, utpote qui nonnullis locis genuinas praebeant scripturas in melioribus corruptas, prorsus esse neglegendos.

Sed transeamus ad Suidae lexicon, de cuius aetate valde ambigunt sententiae, cum ab ipso lexicographo, quo tempore conscripserit thesaurum, nihil comperiamus. Longum est omnes sententias discrepantes affere. Acquiescamus potius in eo, quod statuerunt viri docti, ut afferam Bernhardyum[3]), Suidam lexicon suum composuisse medio fere saeculo decimo. Longe igitur superat aetate codex ille, quem in usum vocavit lexicographus, vetustissimos libros Xenophonteos.

Libri, quibus maxime nititur memoria lexici Suidiani, sunt:

A (Parisinus 2625, qui saeculum XIII attingit),
V (Vossianus Leidensis, qui saeculo XII scriptus esse fertur),
C (Oxoniensis saeculi XV).

---

1) Edd. 1851 et 1859.
2) Ed. 1869.
3) In comment. de Suidae lexico Cap. I. 2.

His libros opponendi sunt:

B (Parisinus saeculi XIII),

E (Bruxellensis, anno 1475 exaratus),

quos duos codices inter se esse cognatos demonstrant etiam lectiones Xenophonteae falsae, quae iis sunt communes, velut

I. 9. 6 (s. v. *κατέκανεν*) B E *ἔτρωσεν* pro *ἔτρεσεν*,

II. 6. 22 (s. v. *Μένων*) pro *δύναιτο* habet B *ψεύδετο*, E *ψεύ . . .*,

II. 6. 25 (s. v. *Μένων*) B E *καὶ ὡς εὖ* pro *ὡς εὖ*,

IV. 5. 13 (s. v. *χιών*) B E *ἀπολύοιτο* pro *ὑπολύοιτο*,

IV. 5. 26 (s. v. *γόνατον* [Bernhardyus]) B E *ἐνέκαντο* pro *ἐνέκειντο*,

IV. 7. 16 (s. v. *ξυήλην*) B E *περὶ* pro *παρά*,

IV. 3. 10 (s. v. *ἐξείη*) B E *προελθεῖν* pro *προσελθεῖν*,

IV. 8. 7 (s. v. *ἐπεμαρτύραντο*) B E om. *τούς*.

Ceterum cod. E nullius fere usus aut auctoritatis esse potest, nam eum interpolatum et ex ipsis Xenophontis libris emendatum esse cognoscitur his exemplis:

I. 5. 12 s. v. *ἤησιν* addit cod. E exemplo Xenophonteo *τῶν δὲ τοῦ Μένωνος στρατιωτῶν σχίζων*, quam interpolationem duxit ex Anabasi.

I. 8. 10 s. v. *δρεπανηφόρος* libri Suidiani praeter E habent *ἐτύγχανον* vel *ἐνετύγχανον*; E exhibet cum melioribus Xenophontis *ἐντυγχάνοιεν*.

IV. 5. 14 s. v. *καρβάσιναι* in codice E legitur pro *καρβάσινα εἶχον ἐκ τῶν κ. τ. λ.* idem fere atque in libris Xenophonteis: *καρβάσιναι ἦσαν πεποιημέναι ἐκ τῶν κ. τ. λ.*, unde apparet ex his eum esse interpolatum.

V. 2. 12 s. v. *διηγκυλημένον* in codice E scriptum videmus *δεήσει* (ν suprascr.) pro *δεήσοι* ceterorum. Illam litteram *ν* suprascriptam esse emendationem e libris Xenophonteis *δεῆσον* servantibus factam, priusquam litterae exeuntes *οι* in *ει* abierint, facile perspicitur.

I. 2. 10 s. v. *στλεγγὶς* post *ξύστρα* addit E (et C) *Ξενοφῶν. Τὰ δὲ ἆθλα ἦσαν στλεγγίδες χρυσαῖ*, quae suo iure delevit Bernhardyus; nam ea interpolata esse inde manifestum fit, quod absunt a libris A B V et a Photii lexico, quocum haec glossa Suidae communis est.

II. 2. 5 s. v. *ἑλόμενοι* scribitur praeter codicem E in omnibus Suidae libris . . . *ὅτι μόνος ἐφρόνει οἷα δεῖ τὸν ἄρχοντα.* Cod. E exemplo subiicit *φρονεῖν. Ἑλόμενοι καὶ ἀντὶ τοῦ προκρίναντες.* Illud *φρονεῖν* inculcatum esse, ut sententia magis fieret perspicua, nemo non videt. Deinde tertiam illam explicationem vocis *ἑλόμενοι* — duas interpretationes iam dederat ipse Suidas — supra addidit interpolator.

IV. 4. 11 s. v. *ἀλεεινὸς* E (et V) post *παραῤῥυείη* habent *ἡ χιών,* ut absurde legamus *κατακειμένων δὲ ἀλεεινὸς ἦν ὁ χειμών, ὅτῳ μὴ παραῤῥυείη ἡ χιών.* Hoc *ἡ χιὼν* sine dubio a nescio quodam e libris Xenophonteis margini adscriptum pro *χειμών* — Xenophontis enim libri praebent *ἡ χιὼν* pro Suidiana lectione *ὁ χειμών* — in textum irrepsit.

Huic libro qui simillimus est cod. B nonnunquam cum optimis libris conspirat[1]), sed plerumque deteriores sequitur. Semel tantum solus suppeditat veram lectionem, quam nescio an debeat coniecturae: I. 5. 10 (s. v. *κάρφη*) *Διφθέρας εἶχον σκεπάσματα ἐμπίπλασαν* praebent omnes codices excepto libro B, qui recte ascivit *ἃς* ante *ἐμπίπλασαν.*

Optimae autem notae sunt Parisinus A et Leidensis V, qui tam fideliter servant verum atque genuinum, ut ex horum sola auctoritate sincerum Suidae pendere sermonem viri docti sibi persuaserint. Sed alteri longe praestat Parisinus A, cum V haud raro correctoris manum sit per-

---

1) Velut I. 1. 7 s. v. *κατάγειν* nomen Xenophontis omiserunt A V B; II. 6. 22 (s. v. *Μένων*) A V B *δέ τό,* ceteri *τὸ δέ*; II. 6. 22 (s. v. *Μένων*) A V B *καὶ τὸ ἀληθές*; cet. *τε καὶ ἀληθές*; II. 6. 27 A V B *ὁπότε*, cet. *ὅτε.*

pessus. Neque tamen affirmaverim genuinam archetypi scripturam retinuisse librum A locis

IV. 7. 22 s. v. *γέῤῥον*. *A ὠμοβώινα*, *E ὠμοβόεινα*, cet. *ὠμοβόινα*;

II. 6. 21 s. v. *Μένων*. *A ᾤετο ὁδόν* (cum melioribus libris Xen.) cet. *ὁδὸν ᾤετο* (cum deterioribus Xen.);

IV. 5. 25 s. v. *χιλή*. *A ἐτρέφοντο* (cum melioribus Xen.), ceteri *ἐτρέφετο* (cum deterioribus Xen.);

IV. 3. 10 s. v. *ἐξείη*. A (et E m. sec.) *καθεύδει* (cum libro A Xen.), cet. *καθεύδοι* (cum ceteris libris Xen.).

Sola enim codicis A auctoritate illae scripturae tutantur.

Liber C denique non alium praebet usum nisi ut damna codicis V suppleat. Maxima quidem fides habenda est lectionibus, quae ab utraque familia commendantur.

Neque vero librorum auctoritate cognita atque recte perpensa ubique genuina Suidae scriptura praesto fit: etenim vitia omnibus libris manuscriptis communia archetypum, unde omnes libri Suidiani originem duxerint, non iam prorsus integrum fuisse comprobant:

II. 6. 26 s. v. *Μένων* testes omnes ad nos propagaverunt exemplum valde corruptum *καὶ παρ᾽ οἷς μὲν ἐπεχείρει πρωτεύειν, διαβάλλων φιλίαν, τοὺς πρώτους τούτῳ ᾤετο δεῖν κτήσασθαι.*

IV. 7. 16 s. v. *ξυήλην* pro *σπάρτα* sine sensu exhibent A B *ὡς παρὰ τά*, V *ὡς παρά*, E *περὶ τά*.

I. 9. 6 s. v. *κατέκανεν* pro *ἀπὸ τοῦ ἵππου* inepte servant A B V E *ὑπὸ τοῦ ἵππου*.

IV. 5. 27 ad glossam *γόνατον* adnotat Bernhardyus: „*Locus Xenophonteus ab imperitis hominibus invectus, id est glossae γονύων olim in margine ascriptus et consilio an temere sub specimen novae annotationis coactus.*“ Qua interpolatione laborant omnes codices.

I. 1. 7 s. v. *ὑπολαβὼν* et I. 2. 21 s. v. *ἁμαξιτὸς* omnes libri Suidiani Malcho attribuunt, quae sunt Xenophontis. Haud fortuitó, censet Bernhardyus, Malchi nomen sedem

involasse; esse credibile locum huius scriptoris interceptum fuisse, postquam simile Xenophontis exemplum accessisset.

III. 4. 35 s. v. *πεποδισμένοι* (bis) Xenophontea per duas glossas disiecta sunt in omnibus Suidae libris.

Quae menda, cum a nullo Suidae libro manuscripto absint, iam in illo codice originario extitisse nobis sumendum est.

Hic quoque est agendum de exemplis Xenophonteis, quae bis vel ter repetuntur apud lexicographum. (Nostra enim scire interest, utrum exempla iterata e glossis superioribus deprompta sint an ex ipsa Anabasi.) Ita fragmentum Xenophonteum, quod scriptum videmus s. v. *ἀνέβαλλεν*, idem reperimus s. vv. *Τηρίβαζος* et *παρεῖη*, quibus locis Xenophontea non esse descripta ex Anab. IV. 4. 4. sed e superiore glossa *ἀνέβαλλεν* inde cognoscitur, quod sub omnibus his vocibus leguntur *ὁ δὲ Τηρίβαζος φίλος ἦν τῷ βασιλεῖ,* quae longe aliter extant in Anabasi. (Suidas transposuit et omisit verba.) Utrum autem grammaticus ipse repetiverit an transtulerit interpolator exemplum, non valde pertinet ad nostram rem nec facile discerni potest. Verumtamen in glossam *Τηρίβαζος* aliena manu eademque temeraria illata esse Xenophontea vix negare licet. Recoquitur enim explicatio quoque vocis *ἀνέβαλλεν* — *ἀντὶ τοῦ ἀνεβίβαζεν* —, quae s. v. *ἀνέβαλλεν* quidem locum habebat, ad glossam vero *Τηρίβαζος* minime quadrat. Accedit, quod cod. V (s. v. *Τηρίβαζος*) exemplum in margine habet.

Neque vero fragmentum glossae *ἐπιτήδειος* e voce *βλακεύεται,* sed ex ipsa Anabasi esse descriptum statim tibi persuadebis si exempla inspexeris. Nam quae sunt Xenophontis II. 3. 11 *ἐν μὲν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὸ δόρυ ἔχων, ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ βακτηρίαν, καὶ εἴ τις αὐτῷ δοκοίη τῶν πρὸς τοῦτο τεταγμένων βλακεύειν· ἐκλεγόμενος τὸν ἐπιτήδειον ἔπαισεν ἂν* ita recurrunt apud Suidam s. v. *βλακεύεται:*

Εἴ τις αὐτῷ δοκοίη τῶν πρὸς τοῦτο τεταγμένων βλακεύειν, ἐκλεγόμενος τὸν ἐπιτήδειον ἔπαιεν ἂν τῇ βακτηρίᾳ;

aliter s. v. *ἐπιτήδειος*:

Ὁ δὲ βακτηρίαν ἔχων, εἴ τις αὐτῷ δοκοίη βλακεύειν, ἐκλ. τ. ἐπ. ἔπαιεν ἄν. Hoc *ὁ δὲ βακτηρίαν* e Xen. Anab. esse depromptum liquido apparet; itemque elucet exemplum glossae *βλακεύεται* non fluxisse e. v. *ἐπιτήδειος*: neque enim v. *ἐπιτήδειος* habet *τῶν πρὸς τοῦτο τεταγμένων*, quae praebet gl. *βλακεύεται*.

Deinde fragmentum, quod comparet s. v. *ὑποπέμψαιεν* originem non duxit e voce *ὀκνεῖν*, sed ex Anabasi; etenim multo uberius est exemplum illius glossae quam vocis *ὀκνεῖν*.

Quae denique s. v. *ἠλίθιος* exarata sunt: *Τὸ δὲ ἁπλοῦν καὶ ἀληθὲς ἐνομίζετο αὐτῷ ἠλίθιον εἶναι* Gaisfordius monet esse Xenophontis Anab. II. 6. 22, contra quem Bernhardyus: „*Fugit illum fons exempli, qui continetur gl. Μένων*", ubi sane eadem recurrunt, nisi quod pro *ἀληθὲς* legitur *τὸ ἀληθές*. Neque tamen exploratum habeo, qua de causa hanc sententiam exprompserit vir doctissimus, nam eodem iure statuere licet inspexisse h. l. grammaticum ipsum Anabaseos exemplar. Neque enim quod sub utraque glossa *ἐνόμιζε τό* depravatum est in *ἐνομίζετο* demonstratur manasse exemplum glossae *ἠλίθιον* ex inferiore voce *Μένων*.

Caput III.

Nonnulla denique dicenda sunt de ratione, qua usus est Suidas in excerpenda Anabasi. Neque enim semper accurate exscripsit quem adhibuit Xenophontis codicem, sed mutavit vel addidit verba, ut ea, quae extra ordinem orationis poneret, faceret planiora vel neglexit quae ad intellegendam sententiam sibi inutilia esse videbantur, ut haud infrequenter Xenophontea multo breviora compareant in Suidae lexico, quam scripta videmus in Anabasi. Persaepe in initio exempli verba licentius finxit, non raro finem conformavit liberius. Haud inutile videtur ad recte iudicandum de Suidae lectionibus hunc excerpendi usum exemplis illustrare, quibus cognitis alias quoque

mutationes consulto factas (nam in omnibus nec libet nec vacat immorari) facilius cognoscemus.

Atque primum quidem Suidas, quod non miramur, sententiam e contextu solutam supplevit additamentis, quae continuae orationis lectori ex antecedentibus subaudienda sunt.

Ita scripsit pro Xenophonteis I. 2. 21 *ἡ δὲ εἰσβολὴ ἦν ὁδὸς ἁμαξιτὸς κ. τ. λ.* Suid. (s. v. *ἁμαξιτός*) *ἡ δὲ εἰσβολὴ τῆς Κιλικίας ἦν ὁδ. κ. τ. λ.* Hoc *τῆς Κιλικίας* inseruit ex iis, quae antecedunt in textu Xenophontis.

Eiusdem fere conditionis est II. 3. 15 v. *ὄξος*, ubi Suidas verba *ὄξος ἑψητὸν ἀπὸ τῶν αὐτῶν* ita in thesaurum recepit, ut pro *τῶν αὐτῶν* poneret *τῶν φοινίκων*, quod non inepte aut inutiliter factum putamus; nam verbis Xenophonteis extra continuationem sermonis positis nulla scilicet vis explicationis inest.

Eandem ob causam IV. 5. 27 s. v. *μυζεῖ* pro pronomine *τούτους* scripsit *τοὺς καλάμους* et sane quae leguntur IV. 1. 24 *αὐτὸς δ'ἔφη* s. v. *δυνατὴν* mutavit in *Ξενοφῶν ἔφη*, ut rupto sermonis filo lectorem lexici de quo ageretur edoceret.

Quod Suidae studium etiam omnia illa exempla testantur, in quibus supplet e contextu nomen personae, velut

I. 7. 8 s. v. *εἰσπιπλὰς* pro *ὁ δὲ ἐμπιπλὰς* ... exhibet *ὁ δὲ Κῦρος εἰσπ* ....

I. 9. 28 s. v. *σπουδαιολογῶ* exemplo de suo praefixit *ὁ δὲ Κῦρος*.

Itemque I. 9. 16 pro Xenophonteis *περὶ παντὸς ἐποιεῖτο κ. τ. λ.* exaravit Suid. (s. v. *περὶ παντός*) *ὁ δὲ Κῦρος περὶ παντὸς κ. τ. λ.*

Neque vero constantem fuisse in hoc studio lexicographum ostendit

II. 3. 15 v. *ἀπόλεκτοι*[1]), ubi Suidas ad verbum affert *Αἱ δὲ εἰς τοὺς δεσπότας* (sic errore scriptum est pro *τοῖς*

---

[1]) Quod exemplum nullam prae se fert speciem interpolationis, ut vult Bernhardyus.

δεσπόταις) *ἀποκείμεναι ἀπόλεκτοι ἦσαν.* Exspectamus Suidam pro *αἱ δὲ*, quod in excerpto intellegi non potest, *αἱ δὲ βάλανοι* accurate scripturum fuisse.

Maior vis demonstrandi inest exemplo vocis *ἐνέβαλεν* transscripto ex Anab. I. 5. 11, ubi pro *ὁ Κλέαρχος* breviter posuit *ὁ δέ*, pro *τὸν τοῦ Μένωνος* obiter scripsit *τοῦτον* et vocis *διαγγέλων* (III. 4. 36), ubi certe consulto omisit *οἱ Ἕλληνες*.

Quae specimina contrarium plane studium ostendunt illis nominibus, quae sunt apud Xenophontem, suppressis.

Atque etiam alioquin mihi persuasi, Suidam in excerpendo certam normam non esse secutum, potius ad libidinem exhibuisse Xenophontea. Cuius rei exemplum in medium hic producam. Est locus II. 3. 11, quem aliter citavit grammaticus s. v. *βλακεύεται* atque s. v. *ἐπιτήδειος* (cf. p. 15 sq., ubi etiam exempla prolata reperies). Differentia autem citandi posita est in afferendis verbis Xenophonteis *ἐν μὲν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὸ δόρυ ἔχων, ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ βακτηρίαν,* quae ad illustrandas illas glossas non tanti erant momenti. Ut autem more suo sententiam exempli faceret perfectam atque dilucidam, non integram quidem, sed quod summum erat orationis, transsumpsit modo *ὁ δὲ βακτηρίαν ἔχων* leviter exhibens modo etiam brevius *τῇ βακτηρίᾳ*, quod idem valet, quodque necessario in fine fragmenti apposuit illi *ἔπαιεν ἄν.* Causa huius excerpendi discrepantiae erui nequit, quod vero s. v. *ἐπιτήδειος* omisit verba *τῶν πρὸς τοῦτο τεταγμένων,* contra s. v. *βλακεύεται* integram reddidit orationem, recte fortasse eo explicabis, quod in hac ipsa sententiae parte invenitur glossa *βλακεύεται*, cuius gratia citavit Xenophontea lexicographus.

Iam hoc exemplo aliud Suidae studium cognovimus. In multis enim locis describendis negotium suum liberius peregit subtractis vocibus vel membris, cum sine detrimento sententiae fieri potuerit; cuius rei exemplorum instar sint:

II. 1. 6 s. v. *κόπτοντες*[1]) Xenophontea *ἐκ τῶν ὑποζυγίων κόπτοντες τοὺς βοῦς καὶ ὄνους* breviter coegit Suidas in *τὰ ὑποζύγια κόπτοντες.*

Eorum, quae leguntur apud Xenophontem II. 2. 17: *οἱ δὲ ὕστεροι σκοταῖοι προσιόντες ὡς ἐτύγχανον ἕκαστοι ηὐλίζοντο*, Suidas, qui ad illustrandum illud *σκοταῖοι* hunc locum attulit, consulto omisit verba *ὡς ἐτύγχανον ἕκαστοι*, quibus carere potuit.

IV. 2. 3 Xen. Anab. *ἐκυλίνδουν οἱ βάρβαροι ὁλοιτρόχους ἁμαξιαίους καὶ μείζους καὶ ἐλάττους, οἳ φερόμενοι πρὸς τὰς πέτρας παίοντες διεσφενδονῶντο.* Suid. (s. v. *ὁλοιτρόχους*) verba *καὶ μείζους καὶ ἐλάττους* et *πρὸς τὰς πέτρας παίοντες*, cum ei ad rem supervacua viderentur, neglexit.

Atque citandi modo potius quam codici, quem in usum vocavit grammaticus, tribuendum est, quod sententiam Xenophonteam I. 5. 10 *οἶνον τε* (scil. *ἐλάμβανον*) *ἐκ τῆς βαλάνου πεποιημένον τῆς ἀπὸ τοῦ φοίνικος* s. v. *βάλανος* aliter profert: *οἶνον ἔπινον ἀπὸ τῆς βαλάνου τῆς ἀπὸ τοῦ φοίνικος.* Quod exemplum quam festinanter Suidas descripserit inde apparet, quod non e contextu supplevit *ἐλάμβανον*, sed illud *ἔπινον*, quam notionem loco Xenophonteo quidem alienam in mente promptam habebat ad vocem *οἶνον*. Porro pro *ἐκ τῆς βαλάνου πεποιημένον* parcius scripsit *ἀπὸ τῆς βαλάνου.*

Item brevius exhibuit s. v. *καρβάσιναι* Xenophontis verba IV. 5. 14 *καρβάτιναι πεποιημέναι ἐκ . . . βοῶν*, hoc quoque loco *πεποιημέναι* praetermittens.

Prorsus leviter decerpsit locum IV. 3. 11 s. v. *μάρσιππος*, quem plurimis membris pressis sic in armarium suum recepit: *εἶδόν τινας ἐν πέτραις μαρσίππους ἱματίων κατατιθεμένους.*

Minime vero putandum est semper parcere verbis Suidam, ubi sine sensus damno fieri possit: Permultis

---

[1]) Quam glossam Dindorfius neglexit.

locis verba protulit integra, etsi ad ornandam glossam multis carere potuit.

Frequenter Suidas initium exempli liberius conformavit, atque observamus libenter eum fragmenta instituere verbis *οἱ δὲ* vel *ὁ δέ*, cuius usus haud pauca reperiuntur exempla, velut

I. 5. 8 Xen. Anab. *ἐκέλευσε τοὺς περὶ κ. τ. λ.*; Suid. (s. v. *συνεπισπεῦσαι*) *ὁ δὲ ἐκέλευε κ. τ. λ.*

III. 5. 18 Xen. Anab. *ἐπὶ τούτοις ἐθύσαντο κ. τ. λ.* Suid. (s. v. *ὁπηνίκα*) *οἱ δὲ ἐθύσαντο κ. τ. λ.*

IV. 1. 5 Xen. Anab. *ἀπὸ παραγγέλσεως πορευόμενοι κ. τ. λ.*; Suid. (s. v. *ἀπὸ παραγγέλσεως*) *οἱ δὲ ἀπὸ παραγ. πορ. κ. τ. κ.*

IV. 1. 6 Xen. Anab. *ἔνθα δὴ Χειρίσοφος κ. τ. λ.*; Suidas (s. v. *γυμνῆται*) *ὁ δὲ Χειρίσοφος κ. τ. λ.*

IV. 4. 16 Xen. Anab. *ἄνδρα δὲ συλλαβὼν κ. τ. λ.*; Suidas (s. v. *σάγαρις*) *ὁ δὲ ἄνδρα συλλαβὼν κ. τ. λ.*

Huic lexicographi consuetudini potius vindicabimus, quod s. v. *παλτὰ* non a *Κῦρος τε* incipit, ut legitur in Anabasi I. 8. 3, sed verbis *ὁ δὲ Κῦρος* introducit exemplum, quam ut in libro, quem convertit in usum, haec scripta fuisse iudicemus.

Praeterea lexicographo in usu est initium quidem exempli summatim afferre, — voluit enim tenorem sententiae gnaris excerptorum lectoribus breviter in memoriam revocare —, quae vero deinceps succedunt integra in opus suum transsumere.

Ita orationem in Anab. V. 5. 7 per quattuor versus continuatam in initio exempli in hanc brevitatem coegit (s. v. *προηγόρει*): *Ἧκον πρέσβεις ἐκ Σινώπης διὰ τοὺς Κοτυωρίτας εἰς τοὺς Ἕλληνας*; hinc sententiam, in qua occurrit illa glossa *προηγόρει*, ad verbum laudavit.

Eundem usum indicat exemplum quod comparet s. v. *χιών* quodque exorditur Suidas his verbis: *πολλοὶ δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπὸ τῆς χιόνος διεφθάρησαν καὶ τοὺς δακτύλους τῶν ποδῶν ἕτεροι*; alia enim leguntur in Anab. IV. 5. 12: *ἐλείποντο δὲ τῶν στρατιωτῶν οἵ τε διεφθαρμένοι ὑπὸ*

τῆς χιόνος τοὺς ὀφθαλμοὺς οἵ τε ὑπὸ τοῦ ψύχους τοὺς δακτύλους τῶν ποδῶν ἀποσεσηπότες; continuos autem quinque versus accurate exscripsit, ut sunt apud Xenophontem.

Non Xenophontis, sed suis ipsius verbis conditionis reddit rationem II. 2. 8 s. v. συνθήκη, quem locum elegit Suidas ad illustrandum foedus solemne ac rite compositum. Introducit enim exemplum verbis οἱ δὲ σὺν Κύρῳ ἀναβάντες Ἕλληνες πρὸς Πέρσας συνθήκας ἔθεντο, quae non inveniuntur apud Xenophontem; neque illud συνθήκη, quod in lemmate posuit, ibidem legitur.

Interdum ad finem festinantius decerpsit: Ita Xenophontis loci IV. 5. 36 . . . διδάσκει ὁ κωμάρχης περὶ τοὺς πόδας . . . σακία περιειλεῖν . . . , ἄνευ γὰρ τῶν σακίων κατεδύοντο μέχρι τῆς γαστρός priorem partem iisdem verbis profert ac sunt in Anabasi, quae vero voculam ἄνευ insequuntur contraxit in διὰ τὸ μὴ καταδύεσθαι.

Similis est generis IV. 8. 20, quem locum Suid. (s. v. σμήνη) ita rettulit, ut exemplo praemitteret explicationis causa εἰς Κόλχους ἐμβαλόντες, tres deinde versus ab οὐδὲν usque ad καὶ ἤμουν omnibus expressit verbis, novissima autem non lectori nisi breviter explanavit scribens: καὶ ἔκειντο πολλοὶ καὶ τῇ ὑστεραίᾳ ἀνίσταντο ὥσπερ ἐκ φαρμακοποσίας.

Luculentum specimen industriae praebet v. ἀλεξόμενον, ubi quae scripta sunt in Xen. Anab. I. 9. 11 καὶ εὐχὴν δέ τινες αὐτοῦ ἐξέφερον ὡς εὔχοιτο τοσοῦτον χρόνον ζῆν ἔστε νικῴη κ. τ. λ. transformavit in εὔχετο δὲ ὁ Κῦρος τοσοῦτον ὑπερζῆν ἔστε νικῴη κ. τ. λ. Nuntiatum καὶ εὐχὴν — εὔχοιτο libere decurtavit in εὔχετο δέ, de suo deinde, ut solet, interposuit nomen Cyri, denique e verbis τοσοῦτον χρόνον ζῆν fecit τοσοῦτον ὑπερζῆν.

Vocabulum Byzantinum genuino substititum invenis apud Suidam s. v. δασμός, quo loco pro ἑπτακαίδεκα Xenophontis IV. 5. 24 exaratum est δεκαεπτά.

Prorsus mutatum atque deformatum legitur exemplum vocis γέῤῥοιν. Xenophontea enim I. 8. 9 ἐχόμενοι δὲ τούτων γεῤῥοφόροι, ἐχόμενοι δὲ ὁπλῖται σὺν ποδήρεσι ξυλίναις ἀσπίσιν

sic apud Suidam recurrunt: *καὶ γεῤῥοφόροι ὁπλῖται ἐχόμενοι τούτων σὺν ποδήρεσι καὶ ξυλίναις ἀσπίσιν*, quae haud scio an librariorum errori debeantur.

Etiam I. 4. 9 s. v. *Χάλος* immutavit textum Xenophonteum pro *ἐπὶ τὸν Χάλον ποταμὸν, ὄντα τὸ εὖρος πλέθρον, πλήρη δ' ἰχθύων κ. τ. λ.* ponens *Χάλος. ποταμὸς, οὗ τὸ εὖρος πλέθρον, πλήρης ἰχθύων κ. τ. λ.* Suidas omnia in nominativi formam convertit, quod eum solere in nominibus propriis explicandis declarant I. 4. 1. vv. *Φάρος* et *Πύραμος*, in quibus pro accusativis *Φάρον* et *Πύραμον* nominativo usus est. Deinde in illo exemplo non mutavit *ὄντα* in *ὤν*, sed scripsit *οὗ τὸ εὖρος*, quod etiam in superioribus vv. *Φάρος* et *Πύραμος* — in his glossis e Xenophonte petivit *οὗ τὸ εὖρος* — usurpatum ei adhuc erat in promptu.

Sed satis multa exempla attulisse mihi videor. In universum statuendum est non admodum difficile esse indagare, quibus locis consulto mutaverit Suidas, nec facile quisquam hos locos mutilos auctori reddere conabitur. Plerumque etiam dilucide apparet quam ob causam Xenophontea non ad verbum in collectanea Suidiana transmigraverint. Praecipue grammaticus abbreviandi studio commovebatur, ut demeret verba vel contraheret. Attamen maximam habebat curam, ut excerpta extra ordinem orationis posita bene intellegi possent. Minime igitur desideratur mens ac ratio in Suidae excerpendi usu et ubique elucet lexicographum tenoris sententiae optime esse gnarum, omnino in Xenophontis Anabasi non esse peregrinum.

Caput IV.

Nunc ad rem accedentes inquiremus, cui libro vel cui librorum generi Xenophontis textus, quem exhibet Suidas, consimilis reperiatur.[1]) Non plane diversam esse

---

[1]) Qua in commentatione rationem habui editionis Oxoniensis Dindorfii, locupletissimo ornata apparatu, quo e libro etiam numerum

memoriam exemplaris, quod Suidae in manibus fuit, a codicum Xenophontis probant vitia, quae omnibus libris Xenophonteis cum illo sunt communia:

IV. 5. 24 Omnes libri Xenophontei praebent *ἐπτακαίδεκα,* quod depravatum esse plurimi interpretes consentiunt; quam corruptelam apud Suidam quoque invenis (s. v. *δασμός*), nisi pro Attica forma *ἑπτακαίδεκα* posita est Byzantina *δεκαεπτά.* Cf. p. 21.

V. 4. 12 *ἔστησαν ὥσπερ . . . μάλιστα οἷον* (vel *οἱ*) *χοροί,* sic libri Xenophontis et Suid.[1]) s. v. *ἀντιστοιχοῦντες.* Post *ἔστησαν* delevit *ὥσπερ* Stephanus, quod suadente Leonclavio transposuerunt ante *οἱ χοροὶ* cum Weiskio Schneiderus et nonnulli alii. Ceteri omnes *ὥσπερ* eiecerunt. Cf. p. 40.

IV. 7. 6 Libri Xen. et Suid. (s. v. *πίτυς*) servant *ἀνθ' ὧν ἑστηκότες,* quam voculam *ἀνθ'* esse corruptam plerique editores persuasum habent. Stephanus coniecit *ἐφ' ὧν,* Hutschinsonus *ὑφ' ὧν,* Kruegerus *ἀντίον ὧν* suspicatus est.[2])

II. 4. 22 Xen. codd. A — D I K Z *μείνοιεν,* ceteri *μένοιεν;* Suid. (s. vv. *ὀκνεῖ* et *ὑποπέμψαιεν*) *μείνειαν.* Dindorfius primus edidit *μείναιεν,* quem omnes fere sunt secuti.

Porro vetusta interpolatio videtur esse illud *δεῖσον*[3]) Anabaseos V. 2. 12 ab omnibus recentioribus criticis cancellis circumscriptum; vocabulum in Suidae quoque exemplari extitisse perspicitur gl. *διηγκυλημένον.*

II. 4. 22 codd. Xen. suppeditant *διελθόντες τὴν γέφυραν,* quod sententiae prorsus repugnat. Itaque iam Zeunius hortatu Lacheri negationem *οὐ* imperite addidit. Nunc luculenta Holzmanni coniectura *διελόντες* ab omnibus re-

capitum citavi, ceteris editionibus, quarum apparatus levis admodum atque exiguus est, adhibitis tantum, ubi editio Oxon. defecit. Siglis usus sum his:

mel. = meliores libri Xenophontei,
det. = deteriores libri Xenophontei.

1) Suidas om. *οἷον.*

2) Alii quidem, ut Rehdantzius, defendunt *ἀνθ'.*

3) Cf. pg. 35.

cepta est. Illam mendosam lectionem etiam Suidas agnoscit, s. vv. *ὀκνεῖ* et *ὑποπέμψαιεν* servans *διαβάντες τὴν γέφυραν*, quod indicat fontem, in quo illud corruptum *διελθόντες* legebatur.

His exemplis cognoscitur Suidae exemplar ad eundem atque codices Xenophontei redire archetypum.

Iam pervestigemus, quibus locis Suidas cum melioribus Xenophontis libris facit contra deteriores.

I. 5. 11 mel., Suid. (s. h. v.) *ἐνέβαλεν*; det. *ἐνέβαλλεν*.

I. 5. 11 mel., Suid. (s. v. *ἀμφιλεξάντων*) *τοῦ Κλεάρχου*; det. om. *τοῦ*.

I. 8. 3 mel., Suid. (s. v. *παλτά*) *τὰς χεῖρας*; det. (et A) om. *τάς*.

I. 8. 9 mel., Suid. (s. v. *γέῤῥοιν*) *δ' οὗτοι*; det. om. *δ'*.

I. 8. 10 mel., Suid. (s. v. *δρεπανηφόρος*) *καλούμενα*; det. *λεγόμενα*.

I. 9. 11 mel., Suid. (s. v. *ἀλεξόμενον*) *τοὺς εὖ καὶ κακῶς ποιοῦντας*; det. post *καὶ* recte addunt *τούς*.

II. 1. 18 mel., Suid. (s. v. *ὑπῆγεν*) *παραδοῦναι*; det. *παραδιδόναι*.

II. 2. 8 mel., Suid. (s. v. *συνθήκη*) *προσώμοσαν*; deteriorum H *προσώρμησαν*, L *προώρμησαν*, D F I *προώμοσαν*.

II. 2. 17 mel., Suid. (s. v. *σκοτιαῖος*) *προσιόντες*; det. *προϊόντες*.

II. 3. 15 mel., Suid. (s. vv. *ἀπέκειντο* et *βάλανος*) *οἵας μέν*; det. *οἵας μή*.

II. 3. 18 mel., Suid. (s. v. *εὕρημα*) *ὑμᾶς εἰς τὴν Ἑλλάδα*; det. *εἰς τὴν Ἑλλ. ὑμᾶς*.

II. 3. 18 mel., Suid. (s. v. *ἀχαριστεῖν*) *οἶμαι*; det. *οἴομαι*.

II. 3. 18/19 mel., Suid. (s. v. *ἀχαριστεῖν*) *πρὸς ὑμῶν . . . πρὸς τῆς . . .*; det. *πρὸ ὑμῶν . . . πρὸ τῆς . . . .*

II. 3. 18 mel., Suid. (s. v. *ἀχαριστεῖν*) *πάσης Ἑλλάδος*; det. *Ἑλλάδ. ἁπάσης*.

II. 4. 26 mel., Suid. (s. v. *ἐφιστάμενος*) *ἐπίστασιν*; det. *ἐπίτασιν*.

II. 6. 22 mel., Suid. [1]) (s. v. *Μένων*) *ᾤετο ὁδόν*; det. *ὁδὸν ᾤετο*.
II. 6. 22 mel., Suid. (s. v. *Μένων*) *τὸ ἀληθές*; det. *ἠλίθιον*.
II. 6. 22 C B, Suid. (s. v. *Μένων*) *ἐγίνετο*, A *ἐγένετο*; det. *ἦν*.
II. 6. 23 mel., Suid. (s. v. *Μένων*) *ἀεί*; det. *αἰεί*.
II. 6. 26 mel., Suid. (s. v. *Μένων*) *κτήσασθαι*; det. *κτήσεσθαι*.
II. 6. 28 mel., Suid. (s. v. *Μένων*) *αὐτόν*; det. *αὐτοῦ*.
III. 2. 28 mel., Suid. (s. v. *ἀπαλλάξας*) *περισσά*; det. *περιττά*.
III. 4. 32 mel., Suid. (s. v. *ἐδίδαξεν*) *αὐτοὺς ἡ ἀνάγκη*; det. *τοὺς Ἕλληνας τῇ ἀνάγκῃ*.
III. 4. 33 mel., Suid. (s. v. *ἀλέξασθαι*) *ἐκ χώρας*; det. *ἐκ τῆς χ*.
III. 4. 42 mel., Suid. (s. v. *στόμα*) *οὐρᾶς*; det. *οὐραγίας*.
IV. 1. 23 mel., Suid. (s. v. *ὠφέλιμον*) *ἐπεί*; det. *ἐπειδή*.
IV. 2. 3 mel., Suid. (s. h. v.) *ὁλοιτρόχους* [2]); det. *ὁλοτρόχους*.
IV. 2. 3 mel., Suid [3]) (s. v. *ὁλοιτρόχους*) omittunt *λίθους*.
IV. 2. 5 mel., Suid. (s. v. *κατακαίνων*) *κατακαίνοντες* [4]); det. *ἀποκτείναντες*.
IV. 3. 11 mel., Suid. (s. vv. *καθηκούσαις* et *μάρσιππος*) *ἐν πέτραις*; det. *ἐν ταῖς π.* (Sed cf. p. 7.)
IV. 3. 12 mel., Suid. (s. v. *νευσούμενοι*) *γυμνοί*; det. *γυμνά*.
IV. 4. 18 mel., Suid. (s. v. *μοναχῇ*) *ἧπερ*; det. *εἴπερ*.
IV. 5. 13 mel., Suid. (s. v. *χιών*) *μέλαντι ἔχων*; det. *μέλαντι ἔχοι*.
IV. 5. 13 mel., Suid. (s. v. *χιών*) *ἐπορεύετο*; det. *πορεύοιτο*.
IV. 5. 13 mel., Suid. (s. v. *χιών*) *ἡσυχίαν ἔχοι*; det. *ἡσυχ. ἔχειν*. [5])
IV. 5. 26 mel., Suid. (s. v. *οἶνος*) *οἶνος κρίθινος*; det. om. *κρίθινος*.
IV. 5. 33 A C, Suid. (s. v. *ἐννεός*) *ὥσπερ ἐννεοῖς*, B *ὥσπερ ἐνεοῖς* [6]); det. *ὥσπερει νέοις*.

---

[1]) Lectio quidem Suidiana h. l. satis est infirma, nam omnes libri praeter A faciunt cum deterioribus Xenophontis.

[2]) In melioribus quidem perperam scriptum est *ὅλοι τροχούς*.

[3]) Ignorant *λίθους* Suidae A B V.

[4]) Restitutum est *κατακανόντες*.

[5]) Deteriorum H (Breitenbachius) K. L; *ἔχει* I.

[6]) Cod. B verum habet.

IV. 6. 17 mel., Suid. (s. v. κλώψ) γυμνῆτες; det. γυμνῆται.
IV. 7. 26 mel., Suid. (s. v. παρεγγυᾷ [1])) ἀνετίθεσαν; det. ἐνετίθεσαν.
IV. 7. 26 mel., Suid. (s. v. παρεγγυᾷ) δερμάτων πλῆθος; det. πλῆθος δερματίνων.
IV. 8. 20 mel., Suid. (s. v. σμήνη) ὅσοι; det. ὅσοι δέ.
IV. 5. 27 mel., Suid. (s. v. συμμαθεῖν) πάνυ ἡδὺ συμμαθόντι; det. μάλα ἡδὺ συμπαθόντι.
V. 4. 12 mel., Suid. (s. v. παλτά) ὡς ἐξάπηχυ; det. om. ὡς.
V. 4. 27 mel., Suid. (s. h. v.) νενημένων; det. νενεμημένων.
VI. 1. 1 mel., Suid. (s. v. ἐκλώπευον) ἐκλώπευον; det. ἐκλόπευον.
VI. 5. 12 mel., Suid. (s. v. νάπος) διαβατέον; det. διαβατόν.
VI. 6. 38 mel., Suid. (s. v. Χρυσόπολις) λαφυροπωλοῦντες; det. τὰ λάφυρα πωλοῦντες.

Quamquam non magnam affert iucunditatem tot locos supra prolatos perlustrare, tamen utique integros eos enumerare studui, ut de Suidae codice recte iudicaretur. Sunt igitur omnino quadraginta septem loci quibus Suidas cum melioribus libris contra deteriores facit. Permulti quidem parvam habent vim auctoritatemque, maioris vero sunt momenti I. 8. 10; II. 3. 18; II. 6. 21; II. 6. 22; II. 6. 26; III. 4. 32; III. 4. 42; IV. 2. 3; IV. 2. 5; IV. 5. 13; IV. 5. 26; IV. 5. 27. Quibus locis cum deteriorum scripturae valde distantes ab iis, quae in melioribus procedunt, non compareant in Suidae codice, sed consentiat Suidas cum priore codicum classe, cognoscitur Suidae memoriam cum altera familia non artiore quodam vinculo esse coniunctam. Neque tamen efficiunt lectiones prolatae cognationem extare inter meliores libros et grammatici exemplar: Lectiones enim, quibus consentit Suidas cum hac codicum stirpe, verae sunt lectiones aut pro veris habentur exceptis quattuor tantum locis, ubi Suidas cum melioribus falsum habet:

I. 9. 11 mel., Suid. (s. v. ἀλεξόμενον) τοὺς εὖ καὶ κακῶς

---

[1]) Non s. v. παραγγέλει, ut vult Dindorfius.

ποιοῦντας; det. recte *τοὺς εὖ καὶ τοὺς κακῶς ποιοῦντας.* Facile fieri potuit ob antecedens *τοὺς,* ut et in melioribus libris et in Suidae codice *τοὺς* excideret.

III. 2. 28 mel., Suid. (s. v. *ἀπαλλάξας*) *περισσά*; det. *περιττά.* Dilucide apparet illam rationem scribendi posterioribus demum temporibus a librariis ad ipsorum aetatis rationem conformatam esse e genuina forma *περιττά*: neque enim frequentius quidquam occurrit in antiquis codicibus, quam ut in eiusmodi vocibus geminis litteris *ττ* substituantur *σσ.*

IV. 2. 5 mel., Suid. (s. v. *κατακαίνων*) *κατακαίνοντες*; det. *ἀποκτείναντες*; reposuerunt critici *κατακανόντες.* Non admodum est mirandum duos testes pro *ΚΑΤΑΚΑΝΟΝΤΕΣ* praebere *κατακαίνοντες*, cum error sit in promptu.

IV. 5. 33 A, C, Suid. (s. v. *ἐννεός*) *ὥσπερ ἐννεοῖς*, B recte *ὥσπερ ἐνεοῖς*; det. *ὥσπερεὶ νέοις*, de quo loco vide quae infra dicam pg. 39.

Nihil igitur e lectionibus, quae Suidae codici cum melioribus sunt communes, colligere licet nisi fieri sane posse, ut memoria Suidiana pendeat ab hac codicum familia. An revera ita se habeat infra lectiones docent, quas Suidas et deteriores libri testantur.

Caput V.

Cum codice C conspirat Suidas his locis:

I. 8. 9 C pr., Suid. (s. v. *γέρροιν*) om. *εἶναι* post *ἐλέγοντο*[1]).

I. 8. 10 C B., Suid. (s. v. *δρεπανηφόρος*) *τὰ δή*; cet. om *δή*.

I. 9. 6 C pr., Suid. (s. h. v.) *κατέκανε*; cet. *κατέκτανε.*

II. 3. 18 C pr., Suid. (s. v. *εὕρημα*) *εἰς πολλὰ καὶ ἀμήχανα*; cet. *εἰς πολλὰ κακά*[2]) *καὶ ἀμήχανα.*

[1]) Illud *εἶναι* seclusit Rehdantzius, omiserunt Schenkelius et Breitenbachius.

[2]) *κακὰ* incluserunt iam Schneiderus et Kruegerus, eiecerunt omnes recentiores.

II. 6. 26 C pr., ut videtur,[1]) et Suid. (s. v. Μένων) falso φιλίαν; cet. φιλίᾳ.
II. 3. 18 C pr., Suid. (s. v. ἀχαριστεῖν) ἔχειν; cet. ἕξειν.
IV. 1. 26 C, B., Suid. (s. v. ἐθελοντής) ἐθέλοι ἄν; cet. ἐθέλοι.
I. 9. 6 C pr., A, Suid. (s. v. κατέκανεν) om. φανεράς.[2])
IV. 4. 11 C pr., ut videtur, Suid. (s. h. v.) ἀλεεινόν; cet. ἐλεεινόν.
IV. 7. 12 C pr., Suid. (s. v. ἴτυν) ὁρᾷ — παραθεῖ[3]); cet. ἑώρα — παρέθει.
IV. 8. 20 C pr., Suid. (s. v. σμήνη) recte om. ἦν post οὐδέν.
V. 2. 12 C, B, Suid. (s. v. διηγκυλημένον) παρήγγειλε; cet. παρήγγελλε.

Contra C facit Suidas cum ceteris libris:

I. 4. 9 C pr., χάλαν ποταμόν; cet., Suid. (s. vv. Φάρος et Χάλος) χάλον ποταμόν.
I. 8. 3 C pr., om. τὰ παλτά; habent cet. et Suid. (s. h. v.).
I. 8. 9 C pr., om. τούτων; habent cet. et Suid. (s. v. γέρροιν).
I. 8. 10 C pr., διαλίποντα; cet., Suid. (s. v. συχνόν) διαλείποντα.
II. 2. 17 C, B, σκοτέοι; cet., Suid.[4]) (s. v. σκοταῖος) σκοταῖοι.
II. 3. 11 C pr., om. τῇ ἀριστερᾷ[5]); habent cet. et Suid. (s. v. ἐπεστάτει).
II. 3. 11 C, τοῦτον; cet. Suid. (s. v. ἐπεστάτει) τοῦτο.
II. 6. 25 C pr., διδάσκουσιν, ut videtur[6]); cet., Suid. (s. v. Μένων) ἀσκοῦσιν.
III. 1. 30 C, B, ἀναθέσθαι; cet., Suid. (s. h. v.) ἀναθέντας.
III. 4. 35 C, δή; cet., Suid. (s. v. ἐπισάξαι) δεῖ. (A δέ.)
IV. 2. 3 C, ἀμαζαίους; cet., Suid. (s. v. ὁλοιτρόχους) ἁμαξιαίους.

---

[1]) Littera a in ras.

[2]) Vox φανεράς quin sit interpretamentum ambigi non potest. Suidas praebet ἔτι εἶχε pro φανερὰς εἶχε.

[3]) Quae lectio ab omnibus est recepta.

[4]) C, B Suidae σκοτιαῖοι.

[5]) Quam ob rem Rehdantzius seclusit ἀριστερᾷ.

[6]) C pr. habet ασκ in quinque litterarum rasura, ut fuisse videatur διδάσκουσιν.

IV. 3. 10 A, C, ἐξήει; cet., Suid. (s. h. v.) ἐξείη.
IV. 7. 6 C pr., κυλινδομένων; cet., Suid. (s. v. πίτυς) κυλινδουμένων.
V. 4. 12 C, A, ἐξάπηχυν; cet., Suid. (s. v. παλτά) ἐξάπηχυ.
V. 4. 13 C, B, ἐνδεδύκεσαν; cet., Suid. (s. v. χιτωνίσκος) ἐνεδεδύκεσαν.
IV. 5. 24 C pr., πολλούς; cet., Suid. (s. v. δασμός) πώλους.

Nunc paucis comprehendamus, quid ex his sequatur. Duodecies conspirat Suidas cum codice C[1]), sedecim locis cum ceteris libris contra C concordat.[2]) Sed genuinae sunt lectiones, quibus congruunt exemplar Suidianum et ille Xenophontis liber excepto unico loco II. 6. 26, ubi vero codicis C scriptura non satis est perlucida neque Suidas praebet φιλίαν διαβάλλων, quod legitur in libro C, sed mutato ordine διαβάλλων φιλίαν. Itaque ad demonstrandam necessitatem inter codicem Suidianam et librum C intercedentem non satis valent, praesertim cum pluribus locis discrepet Suidas ab hoc libro quam cum eo consentiat.

Contra codicem A facit Suidas cum ceteris Xenophontis libris his locis:

I. 2. 21 A στράτευμα; cet., Suid. (s. v. ἀμαξιτός) στρατεύματι.
I. 1. 9 A συνεβάλοντο; cet., Suid. (s. h. v.) συνεβάλλοντο.
I. 1. 9 A ἑλλησπόντιαι καί; cet., Suid. (s. v. συνεβάλλοντο) ἑλλησποντιακαί.[3])
I. 5. 12 A ἵκοι; cet., Suid. (s. h. v.) ἵησιν.
I. 5. 11 A om. στρατιωτῶν — Μένωνος, quae habent cet., Suid. (s. v. ἀμφιλεξάντων).
I. 5. 13 A om. εἰς ante τὰ ὅπλα, quod habent cet. et Suid. (s. v. παραγγέλλοντας).
I. 9. 25 A ἔπρεπε; cet., Suid. (s. v. βίκος) ἔπεμπε.
II. 3. 18 A ὅπως; cet., Suid. (s. v. εὕρημα) εἴπως.

---

[1]) Ter lectionibus codicis C se applicat B, semel A.
[2]) Tribus locis codicem C sequitur B, duobus locis A.
[3]) Nonnulli ἑλλησποντικαί.

II. 3. 18 A om. *οὔτε* ante *πρὸς*, quod habent cet. et Suid. (s. v. *ἀχαριστεῖν*).

II. 4. 26 A *τοῦ ἡγουμένου στρατεύματος*; cet. et Suid. (s. v. *ἐφιστάμενος*) *τὸ ἡγούμενον τοῦ στρατεύματος*.

II. 6. 4 A *ἐθανατώθησαν*; cet., Suid. (s. h. v.) *ἐθανατώθη*.

II. 6. 24 A *ἐπιβούλευε*; cet., Suid. (s. v. *Μένων*) *ἐπεβούλευε*.

III. 4. 35 A *οὔτε*; cet. *οἵτε*; Suid. (s. v. *πεποδισμένοι*) *οἱ γάς*.

III. 4. 35 A *γίγνεται*; cet. *γίγνηται*; Suid. (s. v. *ἐπισάξαι*) *γένηται*.

IV. 2. 6 A om. *ἦν*, quod habent cet. et Suid. (s. v. *μαστός*).

IV. 3. 10 A *ἀριστοῦντι*; cet., Suid. (s. v. *ἐξείη*) *ἀριστῶντι*.

IV. 5. 13 A *νύκταν*; cet., Suid. (s. v. *χιών*) *νύκτα*.

IV. 8. 20 A *ὕμνουν — δυσχώρει*; cet., Suid. (s. v. *σμήνη*) *ᾔμουν — διεχώρει*.

V. 4. 12 A *ἔχων*; cet., Suid. (s. v. *παλτά*) *ἔχον*. (I K L *ἔχων*).

Quae lectiones satis demonstrant Suidae exemplar minime accedere libro A, cum praesertim nullus sit gravior locus, quo inter se concordent, nisi vero pondus vis afferre locis:

III. 4. 36. A, Suid. (s. v. *διαγγέλλων*) habent posterioris aevi formam *ἐγίνωσκον* pro *ἐγίγνωσκον*;

I. 9. 6. A, Suid. (s. v. *κατέκανεν*) *ὑπὸ τοῦ ἵππου* pro *ἀπὸ τοῦ ἵππου*.[1])

Singulares quoque scripturas codicum B et E afferre supersedeo, ne nimium afferam taedium lectori persequendis minutiis: nam hoc mihi persuasi nunquam fere congruere lectiones proprias codicum B[2]) et E[3]) cum Suidae scripturis.

---

[1]) Duobus locis deteriores Suidae libri cum codice A Xen. consentiunt:

I. 9. 6 A Xen. et det. Suidae (s. v. *κατέκανεν*) *ἔτρωσεν* pro *ἔτρεσεν*;

IV. 1. 26 A Xen. et det. Suidae (s. v. *ἐθελοντῆς*) *ἐθέλει ἂν* pro *ἐθέλοι ἄν*.

[2]) Singulares codicis B scripturas Suidas novies cum ceteris libris repudiat, semel tantum cum B omittit *καὶ* (IV. 1. 24 s. v. *δυνατήν*).

[3]) Undecies discrepat Suid. a libri E scripturis propriis; semel

Caput VI.

Pervestigans, quibus locis Suidas cum deterioribus conspiret contra meliores, hos inveni:

a I. 2. 21 det., Suid. (s. v. ἁμαξιτός) ἀμήχανος; mel. ἀμήχανον.
b I. 2. 21 det., Suid. (s. h. v.) ἁμαξιτός; mel. ἁμαξητός.
I. 4. 1 det., Suid. (s. v. Φάρος); Φάρον; mel. Ψάρον.[1])
I. 5. 8 det., Suid. (s. h. v.) συνεπισπεῦσαι; mel. συνεπισπεύσειν.
I. 5. 10 det., Suid. (s. v. κάρφη) τῆς κάρφης; mel. τῆς κορυφῆς.
I. 5. 12 det., Suid. (s. v. ἵησιν) τὸν Κλέαρχον; mel. om. τόν.[2])
II. 2. 9 det., Suid. (s. v. συνθήκη) βάπτοντες οἱ μὲν Ἕλληνες; mel. οἱ μὲν Ἕλλ. βάπτ.
II. 3. 18 det., Suid. (s. v. εὕρημα) μοι; mel. ἐμοί.
II. 3. 18 det., Suid. (s. v. ἀχαριστεῖν) οὐκ ἄν; mel. ἂν οὐκ.
II. 4. 26 det., Suid. (s. v. ἐφεστάμενος) ὅσον δ' ἂν χρόνον . . . ἐπιστῇ, τοσοῦτον ἀνάγκη; mel. ὅσον δ' ἂν χρ. ἐπιστήσειε τοσοῦτον ἦν ἀνάγκη.[3])
II. 6. 21 det., Suid. (s. v. Μένων) πλούτου (antecedit ἐπιθυμῶν); mel. πλουτεῖν.
II. 6. 21 det., Suid. (s. v. Μένων) μέγιστον[4]); mel. μέγιστα.
a II. 6. 22 det., Suid.[5]) (s. v. Μένων) ἐπὶ δὲ τό; mel. ἐπὶ δὲ τῷ.
b II. 6. 22 det., Suid. (s. vv. Μένων et ἠλίθιος) ἐνομίζετο[6]) αὐτῷ: mel. om. ἐνόμιζε.
II. 6. 24 det., Suid. (s. v. Μένων) ὅτι ῥᾷστον; mel. ῥᾷστον ὄν.

---

cum libro E Suidae exemplari commune est II. 2. 5 s. v. ἑλόμενοι ἔδει pro δεῖ, quod unus Dindorfius edidit.

[1]) Hutschinsonus scripsit Σάρον.

[2]) Schneiderus et Kruegerus τὸν receperunt.

[3]) Dindorfius omisit ἄν, δ' οὖν scripsit Breitenbachius. Lectio meliorum nullo pacto ferri potest, nam recte iudicat Sauppius optativo rem iteratam indicanti particulam ἂν addi non posse. Totam lectionem deteriorum et Suidae retinuit Kuehnerus.

[4]) Recte, ut monet Breitenbachius. „Nam vir admodum potens est ἀνὴρ μέγα (non μεγάλα) δυνάμενος. Cyrop. VIII. 7. 15. Eadem de causa dicitur μέγιστον φρονεῖν et similia.“

[5]) Suidae A B V; cet. ἐπὶ τὸ δέ.

[6]) Hoc ἐνομίζετο depravatum est ex ἐνόμιζε τό.

II. 6. 26 det., Suid. (s. v. *Μένων*) *ἀπαίδευτον ἐνόμιζεν*; mel. *τῶν ἀπαιδεύτων ἀεὶ ἐνόμιζεν.*

III. 4. 33 det., Suid. (s. v. *ἀλέξασθαι*) *διέφερεν-ὁρμῶντας*[1]*-πορευομένους*; mel. *διέφερον-ὁρμῶντες-πορευόμενοι.*

III. 4. 35 det., Suid. (s. v. *ἐπισάξαι*) add. *ποιεῖν*, quod abest a melioribus.

III. 4. 42 det., Suid. (s. v. *στόμα*) *μακράν*; mel. *μακρόν.*

III. 5. 14 det., Suid. (s. v. *ἔλεγχον*) *αἰχμαλώτους*; mel. *ἑαλωκότας.*

III. 5. 18 det., Suid. (s. v. *ὁπηνίκα*) *ἐθύσαντο*; mel. *θύσαιντο.*

III. 5. 18 det., Suid. (s. h. v.) *ὁπηνίκα*; mel. *ἡνίκα καί.*

IV. 1. 16 det., Suid. (s. h. v.) *ἀναχάζοντες*; mel. *ἀναγκάζοντες.*

IV. 1. 18 det., Suid. (s. v. *στολάς*) *στολάδος*; mel. *πολάδος.*[2]

a IV. 1. 26 det., Suid. (s. v. *ἐθελοντής*) *ὅστις ἀνήρ*; mel. om. *ὅστις.*

b IV. 1. 26 det., Suid. (s. v. *ἐθελοντής*) om. *αὐτῶν.*

IV. 1. 27 det., Suid. (s. v. *ὑποστάς*) *ὑφίστανται*; mel. *ὑφίσταται.*

IV. 3. 12 det., Suid. (s. h. v.) *νευσούμενοι*[3]; mel. *πευσόμενοι.*

IV. 3. 13 det., Suid. (s. v. *ἐγχεῖν*) *ἐκέλευσε*; mel. *ἐκέλευε.*

IV. 4. 11 det., Suid. (s. v. *ἀλεεινός*) *δέ*; mel. *γάρ.*

IV. 4. 4 det., Suid. (s. v. *ἀνέβαλλεν*) *Τηρίβαζος*; mel. *Τιρίβαζος.*

IV. 4. 14 det., Suid. (s. v. *αἰθρίας*) *ὑπὸ τῆς αἰθρίας*; mel. *ὑπὸ ἀτασθαλίας.*[4]

a IV. 4. 17 det., Suid. (s. v. *σάγαρις*) *οἵανπερ αἱ*; mel. *οἵανπερ καί.*[5]

b IV. 4. 17 det., Suid. (s. h. v.) *ποδαπός*; mel. *ποταπός.*

a IV. 5. 8 det., Suid. (s. v. *βρωτόν*) *παριὼν ἐπί*; mel. *περιὼν περί.*

---

1) Pro *ὁρμῶντας* Suid. *ὁρμωμένους* quidem habet. Accusativum omnes fere editores receperunt.

2) Ex quo Schneidero suadente omnes critici restituebant *σπολάδος*. Glossam Suidianam Dindorfius omisit.

3) *νευσούμενοι* deteriorum DFHKL; cet. *σπευσόμενοι.* Rescriptum est *νευσόμενοι.*

4) Kruegerus et Schneiderus deteriorum quam alii probaverunt lectionem retinuerunt.

5) Ex his duabus lectionibus fecit Schneiderus *οἵανπερ καὶ αἱ.*

b IV. 5. 8 det., Suid. (s. v. *βρωτόν*) *ἐδίδου*; mel. *διεδίδου*.
a IV. 5. 25 det., Suid. (s. h. v.[1])) *κατάγειοι*; mel. *κατάγαιοι*.[2])
IV. 5. 25 det., Suid. (s. v. *κλίμακες*) *κατά κλίμακας*; mel. *ἐπὶ κλίμακος*.[3])
IV. 5. 28 det., Suid. (s. v. *συμμαθεῖν*) *πόμα*[4]); mel. *πῶμα*.
IV. 5. 36 det., Suid. (s. v. *περιδεῖν*) *σακκία*; mel. *σακία*.
IV. 5. 36 det., Suid. (s. h. v.) *περιδεῖν*; mel. *περιειλεῖν* vel *περιελεῖν*.
IV. 6. 17 det., Suid. (s. v. *κλώψ*) *ἐφεπομένων*; mel. *ἑπομένων*.
IV. 7. 20 det., Suid. (s. v. *αἴθειν*[5])) *ἐνέβαλεν*; mel. *ἐνέβαλλεν*.
IV. 7. 22 det., Suid. (s. v. *γέῤῥον*) *δασέων*; mel. *δασειῶν*.
IV. 7. 22 det., Suid. (s. v. *γέῤῥον*) *ὠμοβόινα*; mel. *ὠμοβόεια*.[6])
IV. 8. 20 det., Suid. (s. v. *σμήνη*) *ὀρθός* (*ἵστασθαι*); mel. *ὀρθῶς*.
V. 2. 1 det., Suid. (s. v. *ἀπανθημερίζειν*) *στράτευμα*; mel. *στρατόπεδον*.
a V. 2. 12 det., Suid. (s. v. *διηγκυλημένον*) addunt *δεῆσον*[7]) post *ἀκοντίζειν*.
b V. 2. 12 det., Suid. (s. v *διηγκυλημένον*) *νευραῖς*; mel. *πλευραῖς*.
V. 3. 2 det., Suid. (s. v. *κερασοῦς*[8])) *ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ*; mel. *ἐπὶ θαλάττῃ*.
a V. 4. 12 det., Suid. (s. v. *παλτά*) *ὄπισθεν*[9]); mel. *ἔμπροσθεν*.
b V. 4. 12 det., Suid. (s. v. *παλτά*) *αὐτοῦ τοῦ ξύλου*; mel. om. *αὐτοῦ*.

---

[1]) Haec glossa a Dindorfio praetermissa est.
[2]) B Suidae quoque *κατάγαιοι*.
[3]) Cobetus cum Kruegero edidit *κατέβαινον κατὰ κλίμακος*.
[4]) *πόμα* retinuerunt Kuehnerus et Kruegerus.
[5]) Glossam Dindorfius neglexit.
[6]) Suidae A exhibet *ὠμοβώϊνα*, E *ὠμοβόεινα*.
[7]) Librariorum incuria depravatum est apud Suidam *δεῆσον* in *δεήσοι*.
[8]) Locus Suidianus a Dindorfio neglectus est.
[9]) Frustra h. l. coniecturis vexatus est. Omnes fere editores illud *ὄπισθε* receperunt pro *ἔμπροσθεν*. Bernhardyus adnotat ad h. l. Suidae: „In his miramur optimos Xenophontis libros nihil omisisse nisi *αὐτοῦ*: quo deleto tollatur oportet etiam *τοῦ ξύλου*.“ Breitenbachius verba *αὐτοῦ τοῦ ξύλου* pro interpretamento habet.

c V. 4. 12 det., Suid. (s. v. *πετάλῳ*) *εἰκασμένα*[1]); mel. *ἠκασμένα*.
V. 4. 13 det., Suid. (s. vv. *κρώβυλος* et *σκύτινα*) *ἐγγυτάτω*; mel. *ἐγγύτατα*.
VI. 6. 38 det., Suid. (s. h. v.) *Χρυσόπολιν*; mel. *Χρυσούπολιν*.

Quinquaginta quinque locis Suidae exemplar cum deterioribus Xenophontis libris contra meliores concinit, ut non diu dubitemus, quin ad meliorum stirpem minime pertineat (cf. pg. 27). Sed quaeritur num fortasse probetur lectionibus allatis pendere memoriam codicis Suidiani a deteriorum Xenophontis. Qua in re id potissimum tenendum est non posse nisi scripturis falsis utrique testi communibus confirmari artiore quodam cognationis vinculo Suidae exemplar et hanc alteram Xenophontis codicum familiam inter se vinciri. Quas autem scripturas esse falsas iudicemus? Minime vero quae repudiatae sunt ab editoribus ob unicam causam quod auctorite meliorum librorum non probantur. Nam vagum genus cogitandi ac disserendi esset in talibus lectionibus fundamentum argumentationis ponere, praesertim si per se nulli sunt offensioni deteriorum scripturae sed bonitate pares prioris familiae lectionibus. Quodque fundamentum quam sit infirmum testantur meliorum lectiones, quas esse vitiosas plurimi vel omnes critici consentiunt, nempe locis b I. 2. 21; I. 5. 8; I. 5. 10; a II. 6. 22; III. 4. 33; III. 5. 18; IV. 1. 16; a IV. 1. 26; b IV. 4. 17; a IV. 5. 25; IV. 7. 20; IV. 8. 20; b V. 2. 12; a V. 4. 12; c V. 4. 12; V. 4. 13; VI. 6. 38. Itaque illas deteriorum et Suidae lectiones, quae per se minime sunt reiciendae, quarum autem utrum sint genuinae an spuriae notam non habemus certam, nunc quidem in medio relinquentes inspiciamus Suidae et deteriorum scripturas, quas esse mendosas vix quispiam negabit, simulque inquiramus, num iis fortasse efficiatur necessitate inter se cohaerere Suidae codicem Xenophonteum et deteriores libros:

I. 4. 1 det., Suid. (s. v. *Φάρος*) *Φάρον*; mel. *Ψάρον*.

---

[1]) *εἰκασμένα* vel. *ἠκασμένα* (Kuehnerus) repositum est.

Quod vitium, si vitium est — Hutschinsonus vult Σάρον — (cf. p. 31) facile librariorum errore nasci potuit.

IV. 3. 12 det., Suid. (s. h. v.) νευσούμενοι; mel. πευσόμενοι; restituerunt critici νευσόμενοι. Consensus Suidae et deteriorum nullius est momenti, nam satis constat scribas indoctos persaepe intulisse ut πλευσοῦμαι pro πλεύσομαι ita νευσοῦμαι pro νεύσομαι.

Non aliter se habent

IV. 5. 36 det., Suid. (s. v. περιδεῖν) σακκία pro σακία et

IV. 7. 22 det., Suid. (s. v. γέῤῥον) δασέων pro δασειῶν, similiter enim saepius librariorum temeritate peccatum est.

IV. 5. 36 det., Suid. (s. h. v.) περιδεῖν; mel. περιειλεῖν. Vides, quam facile error oriri potuerit.

IV. 1. 18 det., Suid. (s. v. στολάς) στολάδος; mel. πολάδος, ex quo repositum est σπολάδος. Si falsum est illud στολάδος declarat Xen. Anab. III. 3. 20 scribas industrie σπολὰς in στολὰς depravare: quo loco et e melioribus et e deterioribus prodit στολάδες.

Nec mirum est quod IV. 7. 22 in deterioribus et apud Suidam (s. v. γέῤῥον) eadem comparet perpera scriptura ὠμοβόινα pro meliorum ὠμοβόεια; talia enim verba duplicis formae ad libidinem descripserunt librarii, cuius rei disertum est testimonium Anab. IV. 7. 26, quo loco exaratum habes ὠμοβοίνων pro ὠμοβοείων in melioribus libris.

Idemque iudicandum est de l. IV. 5. 28, ubi det. et Suid. (s. v. συμμαθεῖν) praebent πόμα, mel. πῶμα et de l. IV. 4. 4, ubi det. et Suid. (s. vv. ἀνέβαλεν et παρείη) pro Τιρίβαζος exhibent Τηρίβαζος.

Neque loco a I. 2. 21 (cf. p. 31) Suidae lectio deterioribus debetur. Etenim servat Suid. ἰσχυρὰ καὶ ἀμήχανος εἰσελθεῖν (scil. ὁδός), contra deteriores inepte tradunt ἰσχυρῶς καὶ ἀμήχανος εἰσελθεῖν.

Porro illud δεῇσον loci a V. 2. 12 (cf. p. 33) si interpolatum est — plerique editores incluserunt δεῇσον — hanc interpolationem iam in archetypo extitisse nobis est sumen-

dum. Namque vestigium fraudis in melioribus quoque superest, intellego vocem δεῖσον, quae sequitur in textu verbum τοξεύειν. Liquet enim aut utroque loco pro interpolato habendum aut utroque retinendum esse δεῖσον.

Deinde ll. aIV. 5. 8 et III. 4. 35 non firmare Suidae exemplar deterioribus esse adnumerandum etsi falsae sunt lectiones Suidae et huius classis infra pg. 37 sq. videbis.

Una fortasse notabilis lectionis discrepantia inest loco IV. 4. 11; praestant enim det. et Suid. (s. v. ἀλεεινός) δὲ pro γάρ (post κατακειμένων). Sed cavebimus ne propter eum sentiamus eiusdem stirpis esse deteriores libros et Suidae exemplar. Nam primum quidem haud difficile fieri potuit, ut particula δὲ altero orationis loco tam usitata in duobus diversis fontibus pro γὰρ inculcaretur. Accedit deinde, quod in Suidae excerptum δὲ perfacile errore irrepere potuit. Suidas enim ita deformavit Xenophontea: Χιόνος δὲ ἐπιπεπτωκυίας ὄκνος ἦν πολὺς ἀνίστασθαι, κατακειμένων δὲ ἀλεεινός ἦν ὁ χειμών, ὅτῳ μὴ παραῤῥυείη, ut noceret δὲ paullo antecedens.

Caput VII.

Illis locis detractis nullum superest indicium quod probare possit artiore quodam vinculo coniunctam esse memoriam Suidae cum altera familia. Ne vero necessitatem statuamus inter hos testes primum impedit quod Suidas toties fere cum melioribus conspirat libris — sunt loci quadraginta septem — quoties cum deterioribus, quod miraremur, si ad hanc classem reducendum esset exemplar lexicographi. Deinde lectionibus, quas Suidas cum prima manu codicis C habet communes quaeque ab omnibus verae putantur contra propiorem exemplaris Suidae et deteriorum societatem testibus utor.

I. 8. 9 C pr., Suid. (s. v. γέῤῥοιν) om. εἶναι.

I. 9. 6 C pr., Suid. (s. h. v.) κατέκανε; cet. κατέκτανε.

II. 3. 18 C pr., Suid. (s. v. εὔρημα) om. κακά.

II. 3. 18 C pr., Suid. (s. v. ἀχαριστεῖν) ἔχειν; cet. ἕξειν.
IV. 7. 12 C pr., Suid. (s. v. ἴτυς) ὁρᾷ-παραθεῖ; cet. ἑώρα-παρέθει.
IV. 8. 20 C pr., Suid. (s. v. σμήνη) om. ἦν post οὐδέν.
IV. 4. 11 C pr., Suid. (s. v. ἀλεεινός) ἀλεεινόν; cet. ἐλεεινόν.

Hic Suidae et libri C consensus plane esset inexplicabilis, si ad deteriorum genus rediret lexicographi exemplar Xenophonteum. Nam tum expectaremus illas deteriorum scripturas, quas praeter C etiam omnes habent meliores libri, in Suidae quoque codice recurrere. Etenim plures sunt quam ut casu factam esse accipiamus illam consensionem nec cuiquam credibile videtur duos criticos tot locis eandem forte fecisse coniecturam. At correctum esse Suidae codicem e libro C vel librum C contra e Suidae exemplari nemini certe veniet in mentem. Quare ita sentiemus exemplar Suidianum redire ad archetypum utrique familiae communem, et librum C et Suidam his locis genuinam archetypi scripturam retinuisse.

Suidae exemplar revocandum esse ad librum, qui et ad priorem et ad alteram pertinebat classem, dico ad archetypum familiarum nondum seiunctarum, lectiones indicant meliorum et deteriorum codicum scripturis mixtae, velut

III. 4. 35 mel. *χαλεπὰ νύκτωρ καὶ θορύβου ὄντος*; det. *χαλεπὸν νυκτὸς ὅτε καὶ θορύβου ὄντος ποιεῖν*; Suid. (s. v. *ἐπισάξαι*) *χαλεπὰ ποιεῖν νύκτωρ καὶ θορύβου ὄντος*. Qua in oratione Suidas partim facit cum priore partim cum altera familia. Habet enim commune cum deterioribus illud *ποιεῖν*, quod tamen ex hac classe manifesto non fluxit, nam satis discrepat h. l. a deterioribus libris Suidas conspirans cum melioribus. Verbum *ποιεῖν* pro interpretamento margini archetypi adscriptum fuisse quivis perspicit: Suidae exemplaris auctor recepit *ποιεῖν* in textum ante *νύκτωρ*, deteriorum in fine orationis posuit *ποιεῖν*, meliorum denique neglexit interpretamentum.

IV. 5. 8 C pr., B *περιιὼν περὶ τὰ ὑποζύγια, εἴ πού τι ὀρφῴη βρωτὸν διεδίδου κ. τ. λ.*; cet. *παριὼν ἐπὶ τὰ ὑποζύγια ἦπου ποτὸν ἢ βρωτὸν ὁρῴη, ἐδίδου κ. τ. λ.*; Suid. (s. v. *βρωτόν*)

παριὼν ἐπὶ τὰ ὑποζύγια, εἴ τί που ὀρῴη βρωτὸν ἐδίδου κ. τ. λ. Cum deterioribus Suidae commune est *παριὼν ἐπὶ* et *ἐδίδου* pro meliorum *περιιὼν* et *διεδίδου*; contra cum melioribus habet *εἴ πού τι* (Suid. quidem *εἴ τί που*) pro deteriorum *ἤπου* et omittit cum illis *ποτὸν ἤ*. Ergo Suidae lectio neque ad meliores neque ad deteriores libros reducenda est, potius communi archetypo est explicanda, in quo lectiones, quibus concordat Suidas cum altera familia contra alteram, aliquo modo erant obscuratae.

II. 6. 22 mel. *τὸ δ' ἁπλοῦν καὶ τὸ ἀληθὲς τὸ αὐτῷ τῷ ἠλιθίῳ εἶναι*; det. *τὸ δὲ ἁπλοῦν τε καὶ ἠλίθιον ἐνομίζετο αὐτῷ ἠλιθίῳ εἶναι*; Suid. (s. v. *Μένων*) *τὸ δὲ ἁπλοῦν καὶ τὸ ἀληθὲς ἐνομίζετο αὐτῷ ἠλίθιον εἶναι.* Quas lectiones qui comparaverit, haud cunctanter fatebitur Suidae lectionem ad neutram Xenophontis librorum classem redire, cum valde ab utraque distet. Itaque accipiemus e communi archetypo eam manasse, in quo illud *ἠλίθιον*, quod inepte praebent deteriores, pro varia lectione margini erat adnotatum ad vocem *ἠλιθίῳ*; quod *ἠλίθιον* deteriorum auctor falso recepit pro *τὸ ἀληθές*, meliorum librarius neglexit; qui scripsit codicem, a quo pendet memoria Suidiana, *ἠλίθιον* reposuit pro *ἠλιθίῳ*.

Suidae exemplar Xenophonteum redire ad communem archetypum aliae quoque lectiones demonstrant:

III. 4. 37 mel. *ἐφ' ἥν*; det. *ὑφ' ἥν*. Suid. (s. v. *ἀκρῶνυξ*) *ἀφ' ἧς*. Si Suidae exemplar ad deteriorum genus pertineret eadem lectio in illo appareret atque deteriores praebent libri. Neque enim perspicitur, cur mutata sit vera lectio *ὑφ' ἥν* deteriorum in falsam illam *ἀφ' ἧς*, quam exhibet Suidae codex. Nec cuiquam occurret depravatam esse deteriorum scripturam in Suidae codice; quam rationem iam per se non probabilem infirmat meliorum lectio, quae eodem loco corrupta est. Perbene autem res communi expeditur archetypo, in quo littera initialis illius *ὑφ'* haud scio an parum clara fuerit, ut meliorum scriba falso legeret *ἐφ'*, deteriorum recte *ὑφ'*; Suidae codicis auctor legit *ἀφ'*, quod postea coniecturam duxit *ἧς* pro *ἥν*.

IV. 7. 25 mel. *παρηγγυήσαντο*; det. *παρεγγυήσαντες*; Suid. (s. v. *παρεγγυᾷ*) recte *παρεγγυήσαντος*. Litteras finales in archetypo fuisse obscuras nemo non videt. Illud augmentum *η* in meliorum lectione coniectura ortum est, quam pepererunt litterae exeuntes e libro archetypo mendose (*το* pro *τος*) descriptae.

IV. 5. 33 C, A, Suid. (s. v. *ἐννεός*) *ὥσπερ ἐννεοῖς*; B recte *ὥσπερ ἐνεοῖς*; det. *ὡσπερεὶ νέοις*. Lectionem Suidianam non derivare licet ex ea, quae occurrit in deterioribus Xenophontis, cum diversam habeat scripturam lexicographus, quae ne errore vel incuria scribarii nata sit, impedimento est, quod eandem servant optimi Xenophontis libri. Potius archetypo crimini danda est illa varietas lectionum, in quo una littera *N* illius *ENNEOIΣ* non plane erat deleta, ut meliorum et Suidae exemplaris auctor eam reciperent, deteriorum scriptor transsumeret *I*, quae una hasta illius *N* integra supererat.

Archetypo optime fortasse expediuntur lectiones quoque discrepantes loci V. 2. 12: mel. *διηγκυλωμένους*; det. *διηγκυλισμένους*; Suid. (s. v. *διηγκυλημένον*) *διηγκυλημένους*.

IV. 4. 14 det. *ὅσοι δὲ ὅτε τὸ πρότερον ἀπήεσαν, τὰς οἰκίας ἐνέπρησαν*; Suid. (s. v. *αἰθρία*) citat *οἱ δὲ τὰς οἰκίας ἐμπρήσαντες δίκην ἔδοσαν*. Quae lectio *ἐμπρήσαντες* (quam habet etiam D Xenophontis) a plurimis viris doctis probata, a nonnullis, ut Sauppio et Gemollio, Xenophonti reddita est cum agnosci videatur libris melioribus, qui omittunt *ὅτε τὸ*. Ne hoc quidem loco aut melioribus aut deterioribus Xenophontis libris lectionem debet Suidas, quae commode explicari potest communi archetypo, quo in libro *ὅτε τὸ* punctis fortasse erat deletum et illi *ἐνέπρησαν* suprascriptum aut margini adnotatum erat *ἐμπρήσαντες*. Correctionem illam meliorum auctor vidit, hanc alteram neglexit. Et *ὅτε τὸ* detracto non miramur postea in meliores illatum esse *καὶ* post *ἀπήεσαν*, quo vinculo orationis partes coniungendae erant. Suidianae memoriae auctor recte

recepit *ἐμπρήσαντες*, num idem *ὅτε τὸ* omiserit excerpto cognosci nequit.

IV. 5. 28 mel. *αὐτὸν ἐκέλευε*; det. *ἐκέλευεν αὐτόν*. Suid. (s. v. *ἀντεμπλήσαντες*) om. *αὐτόν*. Accipe in archetypo *αὐτὸν* verbo *ἐκέλευε* suprascriptum fuisse: continuo manifestum fiet, quomodo discrepantes lectiones natae sint.

V. 4. 12 C, B perperam praebent *ἔστησαν ὥσπερ ἀνὰ ἑκατὸν μάλιστα οἷον χοροὶ ἀντιστοιχοῦντες*: cet. pro *οἷον* habent *οἱ* (H *οἳ*); Suid. (s. v. *ἀντιστοιχοῦντες*) om. *οἷον*. Ad. h. l. adnotat Breitenbachius: „*Vides, postquam οἷον in οἱ depravatum erat, illatum esse ὥσπερ.*" Cui sententiae obstat, quod in libris C et B, quamquam *οἷον* non depravatum est in *οἱ*, nihilo setius comparet *ὥσπερ*. Probabilius videtur illud *ὥσπερ* in archetypo ad *οἷον* pro varia lectione margini adscriptum in textum irrepsisse, quo inculcato in nonnullis libris voculam *οἷον*, quae valde abundaret, mutatam esse in *οἱ*, in memoria autem Suidiana *οἷον* omnino eliminatum esse.

Multa igitur stabiliunt sententiam nostram exemplar, quod in componendo thesauro adhibuerit lexicographus, neque ad priorem neque ad alteram familiam esse revocandum, potius ad communem redire archetypum.

Caput VIII.

Iam vero inspiciamus lectiones Suidae proprias, dico eas lectiones, quae neque cum meliorum neque cum deteriorum Xenophontis librorum scriptura consentiunt. In quibus semper est discernendum, utrum fortasse ortae sint mutatione consulto a Suida facta an ex errore vel neglegentia originem duxerint sive ipsius Suidae sive librarii codicis Xenophontei, ex quo petivit excerpta grammaticus sive eorum, qui lexicon descripserunt. Illud quidem ubi consulto transformaverit Xenophontea Suidas non admodum difficile est indagare. Quem vero semper erroris aut incuriae arguamus, haud facile est diiudicatu, quin etiam interdum omnino erui non potest. Neque vero

multum facit ad rem nostram, num peccatum sit a Suida an a librariis eius, cum nostra maxime intersit explorare quale fuerit exemplar Suidianum.

Ad cognoscendum autem, quibus locis consulto mutaverit lexicographus — nam vix monendum arbitror, Suidam fontem suum sine mendorum vel erroris suspicione descripsisse, ut hominum Byzantinorum ingenium ab arte critica remotissimum fuit — luculenter nos adiuvabit, quod iam supra de Suidae excerpendi ratione edocti sumus, cui praeterea has potius vindicabimus lectiones, quam ut ad lexicographi exemplar delegemus:

I. 5. 10 Ad Xenophontea *διφθέρας ἃς εἶχον στεγάσματα ἐπίμπλασαν χόρτου κούφου, εἶτα συνῆγον καὶ συνέσπων* adiecit Suidas (s. v. *κάρφη*) *τὰς διφθέρας*, quod ad sententiam supplendam eum fecisse putabimus, qui usus Suidae valde fuit familiaris (cf. p. 17).

Haud diverso consilio IV. 5. 27 Suidas (s. v. *μύζει*) ad *καὶ πάνυ ἄκρατος ἦν* ascivit e contextu *ὁ οἶνος*; non recte iudicaverunt viri docti e Suidae libro *ὁ οἶνος* esse rescribendum. Liquet enim sine illo additamento fragmentum Suidianum non esse perspicuum.

Nec considerate viri docti in textu Xenophonteo IV. 2. 22 *καὶ γὰρ οἶνος πολὺς ἦν, ὥστε ἐν λάκκοις κονιατοῖς εἶχον* e lectione Suidae (v. *κεκονιαμένοις*) *οἶνος δὲ ἦν, ὃν ἐν λάκκοις κονιατοῖς εἶχον* pro *ὥστε* restituere studuerunt *ὅν*; equidem non dubito, quin lexicographus, cum omiserit *πολύς*, quod consuetudini eius imputandum est, bona causa posuerit *ὅν* pro *ὥστε*.

Item IV. 2. 2 brevitatis causa exaravisse Suidam (s. v. *προσέχοιεν*) *ταύτῃ* pro *ταύτῃ τῇ ὁδῷ* in propatulo est.

Porro quae leguntur apud Xen. I. 9. 16 *περὶ παντὸς ἐποιεῖτο τούτους πλουσιωτέρους ποιεῖν* apud Suid. (s. v. *περὶ παντός*) ita reperimus: *ὁ δὲ Κῦρος τοὺς δικαίους περὶ παντὸς ἐποιεῖτο πλουσίους ποιεῖν*. Ne hoc quidem loco sentire licet *πλουσίους* legisse Suidam in exemplari suo. Nam cum alia mutaverit in hac sententia Xenophontea — illud *ὁ δὲ*

Κῦρος de suo praefixit exemplo et pro *τούτους* accurate scripsit *τοὺς δικαίους* — *πλουσίους* quoque obiter scripsisse grammaticum pro *πλουσιωτέρους* verisimile videtur.

Aliae vero lectiones, quas singulares praebet Suidas, manifesto errore vel incuria ortae sunt, quo in genere caute agendum est, ne pro librariis castigemus ipsum grammaticum, cuius tamen temeritati tribuenda videntur vitia quae sequuntur:

Exemplum quod est in Anab. II. 1. 18 *ὁ δὲ Κλέαρχος ταῦτα ὑπήγετο βουλόμενος καὶ αὐτὸν τὸν παρὰ βασιλέως πρεσβεύοντα συμβουλεῦσαι μὴ παραδοῦναι τὰ ὅπλα* apud Suidam (s. v. *ὑπῆγεν*) plane perturbatum ita legitur: *ὁ δὲ Κλέαρχος ταῦθ' ὑπῆγε βουλόμενος καὶ αὐτὸν τὸν βασιλέα πρεσβεύειν συμβουλεῦσαι κ. τ. λ.* Quae corruptio lexicographum potius sapit festinanter percurrentem exemplum, quo glossema vult munire, quam librarium aliam ex alia littera depingentem.

Uno loco III. 4. 38 sponte apparet Suidam excerpendi munere parum diligenter defunctum esse. Extant enim apud Suidam (s. v. *ἀκρῶνυξ*): *Ἐπεὶ δὲ ἑώρα ὁ Χειρίσοφος προκατειλημμένην τὴν ἀκρωνυχίαν ὄρους, ὑφ' ἣν ἡ κατάβασις ἦν εἰς τὸ πεδίον*; contra in Anabasi quae succedunt vocabulum *ἀκρωνυχίαν* paullo supra leguntur. Qui factum sit mendum, oculis cernimus. Suidas enim, cum quaereret exemplum, quo illustraret glossam *ἀκρωνυχίαν*, reperit illud *ἀκρωνυχίαν*, quod est in § 38. Atque textum cum perlegisset inde ab *ἐπεὶ δὲ* (sic exaratum erat in exemplari eius) usque ad vocem *ἀκρωνυχίαν*, enotavit, quo facto requirens hoc *ἀκρωνυχίαν*, ut sequentia transscriberet, errore incidit in illud *ἀκρωνυχίαν*, quod supra (§ 37 fin.) extat atque quae hanc vocem sequuntur exhibuit. Verum nemo existimabit errorem iam commissum fuisse in Suidae exemplari. Nam qui totum descripsit textum, etsi oculis aberravit, haud immemor fuisset se modo illa exaravisse.

Non satis deinde constat, lectio quam praebet Suidas s. v. *ἀντιποιηθέντα* ipsiusne lexicographi neglegentiae — non habuit cur consulto mutaret — an eorum incuriae,

qui descripserunt thesaurum, vindicanda sit. Xenophontis enim verba II. 3. 23 *βασιλεῖ ἀντιποιούμεθα τῆς ἀρχῆς* apud Suidam mutila leguntur: *ἀντιποιούμενοι τῆς ἀρχῆς τῷ βασιλεῖ*, quae in Suidae exemplari haud dubie ita non scripta fuerunt, etenim in continua Xenophontis oratione omni sensu carent.

Item excerpendi festinatione turbatum esse opinor exemplum vocis *καθηκούσαις*, ubi pro *ἐπ' αὐτὸν τὸν ποταμόν* Xenophontis IV. 3. 11 scribitur *ἐπ' αὐτὸν τὸν τόπον*.

Transpositiones autem verborum, quae in Suidae lexico deprehenduntur, cui imputandae sint in incerto relinquo. Nisi forte consulto translocavit verba grammaticus facile socordia aut ipsius aut librariorum eius verba in aliam sedem irrepere potuerunt.

Erroris culpam librarii sustinere videntur his locis:

I. 5. 10 Xen. *διφθέρας, ἃς εἶχον στεγάσματα ἐπίμπλασαν κ. τ. λ.;* Suid. (s. v. *κάρφη*) om. *ἃς* (cf. etiam p. 41). Luce est clarius voculam *ἃς* non ipsum Suidam, sed librarios omisisse, qui litteras magis quam sensum spectantes illo *ας* bis posito *(ΔΙΦΘΕΡΑΣΑΣ)* decipiebantur: non tamen librarii codicis ex quo excerpta petivit Suidas (nam tum ipse grammaticus supplevisset voculam *ἃς*, sine qua non dant sensum Xenophontea), sed qui descripserunt lexicon.

I. 1. 9 Xen. *ὥστε καὶ χρήματα συνεβάλλοιτο αὐτῷ εἰς τὴν τροφὴν κ. τ. λ.*; Suid. (s, v. *συνεβάλλοντο*) om. *χρήματα*. Non satis elucet, num *χρήματα* consulto omiserit Suidas an librariorum neglegentia vox exciderit. Equidem non contenderim ipsum lexicographum, qui etiam additamentis fragmenta perspicua facere studebat, verbum haud inutile ad sententiam intellegendam industrie praetermisisse. At fortasse *χρήματα* in exemplari suo omnino non scriptum vidit.

In aliis deinde locis in dubio ponendum est, mendorum arguamus librarios, qui descripserunt codices ad quos pertinet Suidae exemplar, an lexici Suidiani scriptores, velut

V. 2. 12 Xen. *τοὺς γυμνῆτας λίθων ἔχειν μεστὰς τὰς*

διφθέρας; Suid. (s. v. *διηγκυλημένον*) om. *τάς*. Peperit errorem syllaba *τας* vocis praecedentis *μεστάς*.

I. 8. 3 Suid. (s. v. *παλτά*) *ἐπὶ τὰς χεῖρας* pro *εἰς τὰς χεῖρας*, corruptum ob brevi praecedens *ἐπὶ τὸν ἵππον*.

V. 2. 12 Suid. (s. v. *διηγκυλημένον*) *δεῆσοι* pro *δεῆσον*, quod evidenter librarii depravaverunt: nam e littera N obscurata perfacile legi I supra p. 27/39 dixi.

Sed iam satis habemus in eiusmodi lectionibus certo cognoscere scripturam a librariis esse corruptam.

Duobus autem locis interpolatio facta est manifesto a Suidae lexici librariis:

IV. 1. 23 Suid. (s. v. *ὠφέλιμον*) *ἔλεγον* — *κατεσφάγησαν* pro *ἔλεγεν* — *κατεσφάγη*.

IV. 5. 28 Suid. (s. v. *ἀντεμπλήσαντες*) *ἐκέλευον* — *λέγοντες* pro *ἐκέλευε* — *λέγων*. Nempe tum demum nasci potuerunt interpolationes, cum exempla e continua oratione soluta erant.

Has denique lectiones Suidam in ipso eo quo utebatur codice invenisse aliqua securitate asseverari potest:

I. 2. 21 Suid. (s. v. *ἁμαξιτός*) *ἰσχυρά*; codd. Xen. *ἰσχυρῶς*.
I. 5. 12 Suid. (s. v. *ἥσιν*) *προσιόντα*; codd. Xen. *διελαύνοντα*.
I. 5. 10 Suid. (s. v. *κάρφη*) *σκεπάσματα*[1]); codd. Xen. *στεγάσματα*.
I. 8. 8 Suid. (s. v. *δείλη*) *ἐγένετο*; codd. Xen. *ἐγίγνετο*.
I. 8. 10 Suid. (s. v. *δρεπανηφόρος*) *ἐνετύγχανον*[2]); mel. Xen. *ἐντυγχάνοιεν*; det. *ἐντύχοιεν*.
II. 1. 18 Suid. (s. v. *ὑπῆγεν*) *ταῦθ' ὑπῆγε*; codd. Xen. *ταῦτα ὑπήγετο*.
II. 3. 18 Suid. (s. v. *εὕρημα*) *ἐμπεπτωκότας*[3]); codd. Xen. *πεπτωκότας*.

---

1) Quam lectionem Kuehnerus et Bernhardyus probaverunt.
2) Suidae B C *ἐτύγχανον*; E *ἐντύχοιεν*.
3) Quae lectio Suidiana a Zeunio et Oudendorpio in textu posita est.

II. 3. 18 Suid. (s. v. *εὕρημα*) *κἀμήχανα*; codd. Xen. *καὶ ἀμήχανα*.

II. 3. 18 Suid. (s. v. *ἀχαριστεῖν*) *τῆς ἄλλης πάσης Ἑλλάδος*; mel. Xen. om. *ἄλλης*; det. *τῆς Ἑλλάδος ἁπάσης*.

II. 4. 22 Suid. (s. vv. *ὀκνεῖ* et *ὑποπέμψαιεν*) *μείνειαν*[1]; mel. Xen. *μείνοιεν*; det. *μένοιεν*.

II. 6. 23 Suid. (s. v. *ἠλίθιος*) *φανερῶς*; codd. Xen. *φανερός*.

II. 6. 24 Suid. (s. v. *Μένων*) *ἀλλὰ τὰ τῶν φίλων*; codd. Xen. *τὰ δὲ τῶν φίλων*.

II. 6. 27 Suid. (s. v. *Μένων*) *ἐπιδεικνύων*; codd. Xen. *ἐπιδεικνύμενος*.

III. 4. 33 Suid. (s. v. *ἀλέξασθαι*) *ὁρμωμένους*[2]; mel. Xen. *ὁρμῶντες*; det. *ὁρμῶντας*.

III. 4. 38 Suid. (s. v. *ἀκρῶνυξ*) *ὁ Χειρίσοφος*[3]; codd. Xen. om. *ὁ*.

III. 4. 37 Suid. (s. v. *ἀκρῶνυξ*) *ἀφ᾽ ἧς*; mel. Xen. *ἐφ᾽ ἥν*; det. *ὑφ᾽ ἥν*.

IV. 1. 6 Suid. (s. v. *γυμνῆται*) *ἅπαντας*; codd. Xen. *πάντας*.

IV. 1. 26 Suid. (s. v. *ἐθελοντής*) om. *καὶ* ante *ὑποστάς*.[4]

IV. 3. 13 Suid. (s. v. *ἐγχεῖν*) *εὔχεσθαί τε*; codd. Xen. *καὶ εὔχεσθαι*.

IV. 4. 11 Suid. (s. v. *ἀλεεινός*) *ὁ χειμών*; codd. Xen. *ἡ χιών*.

IV. 5. 14 Suid. (s. v. *καρβάτιναι*) *ἀπέλειπε*; det. *ἀπέλιπε*; mel. *ἐπέλιπε*.

IV. 5. 24 Suid. (s. v. *δασμός*) *εὗρον δὲ*[5] *καὶ πώλους*; codd. Xen. om. *εὗρον δέ*.

IV. 5. 27 Suid. (s. v. *μύζει*) *εἴ τις*; codd. Xen. *ὁπότε τις*.

IV. 7. 6 Suid. (s. v. *πίτυς*) *πάθοιεν*; codd. Xen. *πάσχοιεν*.

---

[1]) Nonnulli, ut Hugius et Cobetus Suidiae lectionem in textum receperunt; ceteri cum Dindorfio ediderunt *μείναιεν*.

[2]) Hanc lectionem Popponius recepit.

[3]) Zeunius rescripsit *ὁ Χειρίσοφος*.

[4]) Itaque Sauppius seclusit *καί*.

[5]) Unde praeeunte Liono Kruegerus *εὗρον δὲ* quamquam uncis inclusum ante *πώλους* inseruit.

IV. 7. 20 Suid. (s. v. *αἴθειν*[1])) *ὡς δέ*; mel Xen. *ἐπειδή*; det. *ἐπεὶ δέ*.

V. 4. 27 Suid. (s. v. *νενημένων*) add. *περυσινῶν* post *νενημένων* et om. *πατρίους*; nonnulli quoque deteriorum Xenophontis codicum exhibent *περυσινῶν*.

VI. 5. 12 Suid. (s. v. *νάπος*) *δυσβάτῳ καὶ μεγάλῳ*; codd. Xen. *μεγάλῳ καὶ δυσπόρῳ*.

VII. 8. 14 Suid. (s. v. *ὀβελός*[2])) *ἔνδον*; codd. Xen. *ἔνδοθεν*.

Paucis deinde locis lectio, quam singularem praebet Suidas, ab omnibus fere editoribus Xenophonti reddita est.

IV. 1. 25 Suid. (s. h. v.) *δυσπάριτον*; mel. Xen. *δυσπόριστον*; det. *δύσβατον*.

IV. 7. 25 Suid. (s. v. *παρεγγυᾷ*) *παρεγγυήσαντος*; mel. Xen. *παρηγγυήσαντο*; det. *παρεγγυήσαντες*.

II. 6. 28 Suid. (s. v. *Μένων*) *ἀφίσταιτο*[3]); codd. Xen. *ἀφίσταιτο*.

II. 6. 25 Suid. (s. v. *Μένων*) *ὅσους μὲν αἰσθάνοιτο*; mel. Xen. *ὅσους μὲν ἂν αἰσθάνοιτο*; det. *ὅσους μὲν ᾐσθάνετο*.

II. 6. 21 Suid. (s. v. *Μένων*) *κερδαίνοι*; codd. Xen. *κερδάνοι*.[4])

IV. 3. 11 Suid. (s. vv. *καθηκούσαις* et *μάρσιππος*) *κατατιθεμένους*[5]); codd. Xen. *καταθεμένους*.

Hae quoque lectiones, quibus deflexit exemplar Suidianum ab utraque Xenophontis codicum familia, praesertim ubi verum suppeditant, Suidae librum ad neutram esse referendum comprobant.

Caput IX.

Ex iis, quae disputavi, satis luculenter apparere existimo Suidae memoriam ad communem redire arche-

---

[1]) Quae glossa a Dindorfio omissa est.

[2]) Glossam Dindorfius praetermisit.

[3]) Quae lectio a Schneidero, Kruegero probante, reposita est, quem omnes recentiores critici sunt secuti praeter Dindorfium, qui ne adnotat quidem Suidae lectionem.

[4]) Suidae B, V *κερδαίνῃ*, C E *κερδάνῃ*.

[5]) Dindorfius solus aspernatus est Suidae lectionem, quae eum fugisse videtur, neque enim scripturam Suidianam in apparatu notavit, quam Breitenbachio auctore etiam cod. H deteriorum exhibet.

typum. Quo tempore scriptus sit liber ille originarius e Suida cognosci nequit, sed edocemur singularibus grammatici lectionibus — plurimae certe deperditae sunt — codicem, quem in usum converterit, permagno iam intervallo ab archetypo distare multosque libros inter utrumque esse interpositos.

Sin lexicographi liber tertium nobis repraesentat fontem, archetypi proprietate explicandus est consensus, qui deprehenditur inter Suidam et meliores aut inter Suidam et deteriores Xenophontis libros, unde necessario sequitur omnes illas lectiones, quae communes sint melioribus aut deterioribus cum Suidae exemplari, modo ne casui tribuendus sit hic consensus, iam in archetypo aut in textu aut pro variis lectionibus extitisse, quam ob rem dignae sint, quas accuratius inspiciamus. Neque tamen intellegi volo scripturas, quae in duobus trium illorum fontium nobis obviam fiant, iam ob hanc causam pro veris habendas esse. Etenim exempli causa fieri potuit, ut meliorum auctor genuinam archetypi scripturam recte traderet, contra deteriorum et Suidae codicis librarii illius loci conformatione seducti in eundem errorem laberentur: at apparet duorum testium lectiones, in quibus nihil sit, quod iure reprehendamus, in textu ponendas esse. Itaque meliorum librorum lectiones singulares non ob unicam causam retinendae sunt, quod huius classis auctoritate firmantur, sed omnes quas Suidas et deteriores testantur lectiones pro genuinis sunt habendae, nisi aperte mendum suppeditant: illas maxime quae contemptae iacent scripturas deteriorum intellego, quae per se meliorum lectionibus minime sunt postponendae atque quarum plurimae ab uno vel altero editore Xenophonti iam redditae sunt. Excipio sane lectiones, quas esse falsas supra agnovi.

Quid porro lucramur ex hoc tertio fonte ad aestimandas illas Xenophontis codicum familias? Quadraginta septem locis Suidas facit cum melioribus libris, cum

deterioribus conspirat locis quinquaginta quinque, unde detrahendi sunt illi perpauci, quibus Suidas in falsis scripturis conspirat cum melioribus aut cum deterioribus. Suidas igitur nobis est testis neutram universe codicum classem alteri auctoritate ita praestare quam unicum testem cum fide sequi liceat. Quare aliis quoque locis, ubi Suidae testimonio non utimur, libero iudicio expendemus deteriorum codicum lectiones neque admodum dubitabimus scripturas huius familiae in textum recipere.

Prioris deinde classis librum C egregium esse ducem Suidae exemplari confirmatur; etenim duodecies conprobat lectiones, quas codex C praebet contra ceteros omnes libros, verum cum singularibus ceterorum eiusdem familiae codicum lectionibus vix uno alterove loco vel omnino non consentit.

Haud parvum igitur fructum capimus e Suidae Anabaseos excerptis, quorum praestantia primum in hac re posita est, quod iis tertio utimur fonte, deinde vero, quod exemplar illud, ex quo petivit Xenophontea lexicographus, multis annis excedit aetatem codicum Xenophontis. Auctoritate eius non ita opus est, ubi easdem exhibet scripturas atque meliores libri, quippe cui classi iam ultro nimium tribuerint editores. Gravissimi vero est ponderis maiorem vim afferre singularibus codicis C scripturis et ad testandas deteriorum lectiones et omnino ad merito aestimandam hanc codicum classem. Idemque sex locis solum necessarias servat lectiones neque semel opportunas praebet scripturas. Aliquot denique locis grammatici excerptis quomodo corruptela sit orta aperitur. Quid plura? Suidae testimonio nos in arte critica Xenophontis Anabaseos exercenda nullo pacto carere posse satis est consentaneum.

Argumentum.

Vita.

Natus sum Henricus Kewes a. d. VIII. Kal. Jan. anni LXXXIII saec. praet. in oppidulo Guestfaliae, quod vocatur Schmallenberg patre Francisco matre Maria e gente Kewekordes, quos adhuc superstites esse valde laetor. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum primordiis imbutus gymnasium adii Paderbornense. Vere anni IV huius saec. maturitatis testimonium adeptus Friburgi per sex menses studiis me dedi philologicis et historicis, quae Berolini per tria semestria continuavi. Deinde Halas Saxonum me contuli, ubi a vere anni VI h. s. duos annos civibus universitatis adscriptus eram.

Docuerunt me viri clarissimi

Friburgenses: Baumgarten, Finke, B. Schmidt, Thurneysen.

Berolinenses: Diels, Helm, Ed. Meyer, Paulsen, Reich, Roloff, Schmitt, Schumann, Vahlen, Wentzel, v. Wilamowitz-Moellendorff.

Halenses: Bauch, Bechtel, Blass †, Consbruch, Dittenberger †, Droysen, Ebbinghaus, Fries, Ihm, Kern, Muff, Niese, Robert, Schultze, Schwarz, Wissowa.

Ad proseminarium philologicum Berolinense me admiserunt vv. ill. Diels, Helm, v. Wilamowitz-Moellendorff, ad seminarium philologicum Halense Blass, Kern, Wissowa. Exercitationibus historicis ut interessem permiserunt vv. dd. Finke, Ed. Meyer, Roloff, Niese, archaeologicis Robert, paedagogicis Fries. Omnibus his praeceptoribus meis gratiam semper habebo quam maximam, imprimis vero Friderico Blass, quo auctore hanc quaestionem institui quemque nuper praematura morte abreptum esse valde lugeo, et Ottoni Kern, qui in hoc opusculo conficiendo summa cum liberalitate me adiuvit.

Examen rigorosum superavi a. d. XIII. Kal. Mart. a. MDCCCCVIII.